




del Sig.r Ambrogio Ven. Onore a
Cantagallo.

Imprestato a me Rev.o di quella
il dì 14 Giugno 1400.

DE SANCTO MATRIMONII
SACRAMENTO

PRÆCIPUA DIVINI, ATQUE ECCLESIASTICI
JURIS SERVANDA
EXPONUNTUR

A D. DOMINICO LANZERINI
PRESBYTERO,
Sacræ Theologiæ in Bononiensi Universitate
Publico Professore.



BONONIÆ MDCCLXXIII.

Ex TYPOGRAPHIA LONGHI.
SUPERIORUM PERMISSU.

AUCTORIS INTENTIO.



Anta est nostro Ævo editorum de Morali Theologia Voluminum copia ad manus omnium circumducta, ut (quemadmodum præ humilitate sapientissimus quidam Jurisperitus de suo opere dixit) Ego ipse pro rei veritate de hoc ex meis scriptis exciso Opusculo fateri tenear; nempe, nihil opus esse lucubratione mea; cum satis intelligam, non tantum mihi esse, vel auctoritatis, vel doctrinæ, ut me tot celebrimorum Virorum diligentiam immitaturum, nedum aliquid rectius, & præstabilius traditurum confidam; Tamen instituti mei rationes, si quis expenderit, ut opinor, constabit illi, quam in his posui operam, multam omnibus ponendam esse, qui conscientiæ casibus enodandis adjiciunt animum. Accademiæ enim nostræ Bononiensis Excelsis Præsidibus placuit Prælectiones, quas in

 Ar-

Archigymnasio essem habiturus, omnes huic uni titulo inscribere me debere. Quibus, ut potui, paruisse videar Libellum hunc de Sancto Matrimonii Sacramento: non ejus Dogmata hic (quod alibi fecerim) in Disputationem revocans: sed leges, normamque adiens rite, sancteque illud ineundi, concinnavi; qui, cum spectabilem, usuique perutilem Theologiæ Moralis portionem referat, præstitam quoque amplissimis iis Excelsis Præsidibus obedientiam meam testetur. Et, si quid ex ipso utilitatis, ac commodi in quosdam derivare posset Typis evulgatione, hoc quidem, ut pronte consequerentur, curavi. Cujus gesti fructus mihi sit divini Sponsi propitiatio in ea media Nuptiarum cœlestium nocte, qua ad me ipse veniet; ut bonorum operum oleo redundans tunc ardeat Lampas mea: Et, si quid in me tenebrarum, vel culpæ fuerit, quod heunimis vitio meo futurum vereor, ejus dilectæ Sponsæ Sanctæ Matris Ecclesiæ præsidio tectus, Sacramentorumque pratiosis ab ea acceptis monilibus fulgens, intrem cum eo in easdem Divinas perpetuo mansurus Nuptiales delitias.

INDEX

INDEX

PARS PRIMA CAPUT PRIMUM.

DE SPONSALIUM GENERICA NOTIONE.

CAPUT SECUNDUM.

DE PERSONIS CONTRAHENTIBUS SPONSALIA.

CAPUT TERTIUM.

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

PARS SECUNDA CAPUT PRIMUM.

DE JURIBUS NATURALI, CIVILI, DIVINO, ET CANONICO DISPONENTIBUS CIRCA MATRIMONIJ VEL CONTRACTUM, VEL SACRAMENTUM. 63

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE PERSONIS HABILIBUS AD CELEBRANDUM MATRIMONII SACRAMENTUM.

CAPUT TERTIUM.

DE CONDITIONIBUS APPONIBILIBUS CONSENSUI MATRIMONIALI.

CAPUT QUARTUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CAPUT QUINTUM.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS. pag. 169

CAPUT SEXTUM.

DE VALIDI MATRIMONII EFFECTIBUS, JURIBUS, ATQUE ONERIBUS.

CAPUT SEPTIMUM.

DE DIVORTIIS.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.



Um Christus Dominus Ecclesiam suam monilibus Gratiæ ornatam voluit, quoscumque hominis status Sacramentis sanctificavit; Quapropter nascitur Homo, Baptismate illuminatur. Crescit, Confirmatione roboratur. Languescit, Eucharistico cibo reficitur. Gratiæ naufragium perfert, secunda Pœnitentiæ tabula subvenitur. Viam universæ Carnis in proximo est, ut ingrediatur, Sacro linitur Oleo pro Gratiæ Viribus reparandis, ac roborandis, peccatorumque oneribus seponendis. Colendus est Deus, Sacramento secernuntur quidam Homines, quo sanctiores fiant in Sacrificiis peragendis. Ecclesia tandem Fidelium numero augenda est, Sacramento connubia sanctificantur; atque ita fit, ut nihil in Hominum diversis statibus, quod spectabile sit, egensque Divino Præsidio, pro quo non sit peculiare Sacramentum institutum, illique Divina Clementia destinatum, hoc ipsum postulante Christi Domini dilectione in suam dilectam Sponsam Ecclesiam, ut Gratiæ suæ canales, qui sunt Sacramenta, institueret, per quos eandem difluentem ad quemlibet Hominis statum traduceret; secus quos in quarto sententiarum pro ingenii nostri tenuitate pereximus, de iis Fidei Dogmata ibi recensentes; nunc autem, quia ex iis unum est, nempe Sacramentum Matrimonii plurima habens necessaria scitu, ut valide, ac licite celebretur; hæcque proinde praxim respicientia, qua inquam parte hanc respicit, Leges, ac modum illius valide, & licite ineundi afferemus, accedentes primitus ad ea, quæ solent eidem præmitti antequam celebretur, nempe Sponsalia.

PARS

PARS PRIMA
CAPUT PRIMUM.
DE SPONSALIUM GENERICA NOTIONE.

§. I.

Derivatio nominis Sponsalium, eorumque Definitio, & ejus per partes explicatio; idest de voluntate, libertate, ac veritate promissionis sponsalitiæ.

1. I Nomen Sponsalium exponatur, quia a spondendo procedit, non aliud significat, quam stipulari, & spondere sibi uxores, futuras; proinde ex eo venit, Sponsi, ac Sponsæ appellatio. *L. 2. 3. ff. h. t.* Qui fœminam viro spondebant, dicebantur Sponsores. Qui sibi eam stipulabatur, Sponsus, sicut & Sponsa, Mulier promissa dicebatur, ac dicitur. Actus vero quo hæc cęremonia gerebatur Sponsalia est appellatus. Verum quia latam, ac strictam habent significationem sponsalia: Latam, inquam, dum significant stipulationem præsentem, seu Matrimonium ratum, & strictam, seu specificam, dum solam promissionem futuri Matrimonii denotant; Hinc de hac specifica sponsalium usurpatione prius dicemus, deinde de Matrimonio rato.

2. Deffiniuntur itaque sponsalia, promissiones mutuę futurarum nuptiarum signo exterro expressæ. *Cap. nostrates 3. Can. 30. Quæst. 5. & L. 1. D. ret.*

3. Præstat, deffinitionem exponere. Dicuntur promissiones, ut distinguantur a mero proposito, a quo gravis obligatio non oritur, quia nullus sibi ipsi obligari velle censetur; nam supra suam voluntatem in se ipso alium non recognoscit dominum, cui ligari possit; Suam ergo voluntatem potest sine cujusque injuria ac ipso jure mutare; ergo propositum non parit obligationem; bene vero oritur ex promissione; quæ cum sequatur, vel rei promissæ naturam, vel promittentis animum: si gravis fuerit res promissa, obligationem gravem pariet; sicuti si animus promittentis fuerit de sibi gravi imponenda obligatione per oblatam promissionem. Cujus ratio est, quia promisso est ad alterum, qui voluntatem a promittente datam recipit; proinde fit legitimus possessor voluntatis promittentis, quæ gravis est, vel pro materiæ gravitate, vel pro animo promittentis; quocirca si promittens vellet retrahere promissionem, tentaret perturbare a justa possessione datæ suæ voluntatis eum, qui illam & juste recepit, & juste detinet; hinc patet, quare propositum nullam

invalida decernuntur sponsalia ob metum extrinsecum injustè incussum innita, ex eo, quod naturale jus, non ultra requirat in sponsalibus pro eorum validitate, quam consensum voluntarium, & liberum, adhuc tamen jus naturale non abstulit potestatem, vel genti ipsi, vel legis conditoribus alia addere ipsismet sponsalibus, vel ab iis quædam removere pro eorum validitate; idque ob peculiares loci, temporis, ac personarum circumstantias postulantes hujusmodi moderationem. Quod tunc aliud non est, quam jus ipsum naturale circumstantiis jam dictis applicare; proinde ibi non corrigitur jus naturale, sed interpretatur; præsertim cum non præcipiat, ut semper, & quocunque eventu sponsalia cum metu innita valida habeantur, sed solumodò innuat, se solo spectato, valida haberi posse, non excludendo tamen de iis ulteriorem sanctionem Legislatoris. *Leg. Jus. Civ. 6. D. de Just. & Jur. & L. 4. D. de Stat. Homin.*

8. Diximus, sponsalia ex solo metu extrinseco injuste incusso decerni invalida a jure positivo, non autem, quæ ex aliis metibus sint innita. Quia cum pertineat ad Legislatorem sancire, ne fraus patrocinetur delinquenti, & ne comodum ex culpa habeat, qui peccat, in pęnam injustè incutientis metum, invalida decernit sponsalia taliter contracta. Est etiam intrinseca ratio Legislatorem movens, ad ea decernenda invalida; nam qui metu injuste incusso extorquet ab alio promissionem sponsalium, similis est Prædoni excutienti pæcuniam a Viatore; atqui ęquum, justumque est Legislatorem decernere, quod Prædo nunquam fiat Dominus, nec legitimus possessor depredatæ pæcuniæ, licet naturali jure permitteretur; ergo ęquum pariterque justum est, quod Legislator decernat invalidam promissionem metu injuste incusso extortam in sponsalibus, ne extorquens fiat Dominus ac legitimus possessor alienæ voluntatis: etsi naturali Jure fieri posset, & Dominus, & possessor. Quin imò dici posset quod omnium hominum consensus accessit, sicque factum sit jus Gentium, ne essent valida dicta sponsalia, ut quilibet sibi libertatem assereret in sponsalibus inneundis. Nimium enim cuilibet interesse debet in re tanti momenti, ut sunt sponsalia ad ea celebranda metu injusto non adigi. Cæterum, hoc uno excepto metu, jus positivum pro validis habet omnia sponsalia ex metu quocunque innita, sequens jus ipsum naturæ. Etenim reliqui metus videntur ab ipsamet natura procedere; propterea si iis non obstantibus jus naturæ habet valida sponsalia cum dictis metibus celebrata, non posset Legislator, ea sponsalia decernere nulla, quin directè, & positivè contradiceret juri naturæ; Sicque illud, qua parte est præceptivum, apertè corrigeret, quod esset absurdum juxta §. *Sed naturalia Inst. h. t. Cap. ult. de Consuetud.* Et quamvis, metus ab extrinseco justè incussus non videatur a natura procedere, scilicet a causa naturali necessaria, sed procedat a causa libera, atque ob id dicatur metus ab extrinseco; tamen quia juste est in-

cussus, ob quam rationem, etsi non descendat a causa naturali, & necessaria, quia tamen descendit abipsomet jure naturali, quod justa præcipit; hinc aliis metibus quoad hunc effectum equiparatur, nempe, quod sponsalia non vitiet, sicut & reliqui, dempto semper metu ab extrinseco injustè incusso.

9. Ut policita adimpleamus. Jus positivum cum *Card. de Luca lib. 14. part. 2. summa Tit. De Matrimonio, Sponsalibus, & Divortio: §. 2. n. 11.* nunc afferimus. Verba citati Juris periti referentes; *Ad eorum*, inquit ipse, *nempe sponsalium validitatem, ac perfectionem, ultrà illa liberi, ac legitimi consensus requisita, quæ in quibuscunque contractibus ac humanis actibus desiderantur, illud quoque ex peculiari Jure exigunt, ut inter contrahentes, (ætatis secluso impedimento), aliud Canonicum non vigeat, quod Matrimonium contrahi posse prohibeat; quoniam sicuti ipsum Matrimonium invalidum esset, ita fortius invalida sunt sponsalia*, & §. 3. n. 20. de requisitis necessariis ad validitatem sponsalium, inquit: *Libertatem quoque idem consensus, scilicet sponsalitius, habere debet, ac sinceritatem, ne dolo, vel metu, seu vi, a nolente extortus dici valeat, eodem modo, quo in altero spirituali Matrimonio per solemnem regularem Professionem contrahi solito, omnibusque aliis contractibus statutum est*. Preter dicta præstantissimi citati Juris Consulti habetur expressum in Can. *si verum 31. quæst. 2. & cap. 15. & 16. De Sponsalibus & Matrim.*

10. Etsi nobis, quæ dicta sunt, non probabilia sed certa moraliter videantur, non desunt tamen plurimi recentiores præsertim Canonistæ, inter quos Picler *lib. 4. Tit. 1. De Sponsalibus*, & Mascat *lib. 4. Tit. De Sponsalibus, & Matrimoniis*, in eorum Canonico evoluto Jure, quasi infinitam Auctorum seriem sibi ipsis consociam asserentes, qui affirmant, sponsalia ex metu injuste incusso innita valida esse, nedum jure naturæ, sed etiam positivo jure, non improbante sed relinquente in primo gradu validitatis habitæ a jure naturæ. Horum momenta sunt. Primò, inquiunt, naturali jure valent actus tali metu extorti, quia absolute sunt voluntarii, & liberi; Ergo valent etiam sponsalia per hujusmodi metum extorta, nisi ostendatur Jus positivum ea irritans; quod adversarii, ipsis dicentibus, hactenus frustra conati sunt ostendere. Secundò. Sponsalia ista non officiunt Matrimonio, quia non obligant; neque sunt via ad Matrimonium metu, sed purgato metu, sponte inneundum; neque nocent parti metum passæ, sed potius prosunt, quia in arbitrio ejus est, vel si deinde comoda appareant efficere ut pars metum incutiens teneatur illis stare: vel secus, ab iis recedere; Ergo non officiunt Matrimonio, neque nocent parti metum passæ.

11. Hæc sunt præcipua, quæ a relatis Auctoribus in patrocinium Assertionis eorum referuntur. Videamus nunc quanti sint roboris; & quoad Primum, Et nos concedimus Primam partem illius momenti, videlicet, quod

quod actus ex metu injustè incusso eliciti superfint voluntarii, ac liberi, neque de ipsorum validitate dubium esset, si ea tota penderet a præceptivo naturali jure, videlicet excludente quamcumque positivam dispositionem, quam de iis facere tentasset Legislator quicunque, vel Deus, vel homo. At quoniam jus naturæ, licet non postulet pro ipsorum validitate, nisi quod fint voluntarii ac liberi, non tamen ademit potestatem, quæ est in Principe, vel Deo, vel Homine apponendi aliqua, vel alia excludendi, ob quæ actus prædicti nulli reddantur, ut ex relatis Juribus, quodque & ipsi prædicti Auctores fatentur; propterea confugiunt ad provocandos oppositores suos, ut hoc positivum jus depredicatum prodant, ac manifestent.

12. Quod statim præstant: primò recolentes superius dicta præstantissimi Juris Consulti Cardinalis De Luca De Matrimonio summa §. 11. quæ generice jus ipsum positivum jam expetitum assignant; secundo præmittentes jus Canonicum, ita affecisse sponsalia, ut nunc non possint haberi quasi relicta in simplici Jure naturali. Nam quæcumque sponsalia celebrata inter habentes Canonicum impedimentum juris positivi, vel prohibens, vel irritans Matrimonium, decreta sunt nulla a Jure Canonico; quod tum in *Trid. sess. 24. de Refor. Matrim.* confirmante præcedentia Juris Canonici capità, est manifestum, tum in pluribus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis resolutionibus, præsertim in una Januen. 12. Decembris 1733. *Dubium propositum ibi fuit hoc.*

Julius Palavicinus, & Angela Maria Zoalia quarto consanguinitatis gradu conjuncti inierunt sponsalia Jurejurando etiam firmata sub spe, & conditione impetrandi Apostolicam dispensationem super impedimento gradus.

Conceptum dubium sub his verbis.

An sponsalia inter Angelam Mariam Zoaliam, & Julium Palavicinum inita sustineantur in Casu?

Responsum fuit ab Eminentissimis Patribus:

NEGATIVE, ET AMPLIUS:

Huic resolutioni conformis erat Brugnaten. Sponsalium 26. Januarii 1709. *Tom. 9. part. 3. Fol. 60. Thesaur. Ref.*

Dubium erat *an Sponsalia sustineantur*, & respondit eadem

NEGATIVE

ut in Libris 59. decretorum Pag. 17. Hæcque in superiori resolutione citatur §. *Similis*.

13. Constat ergo, sponsalia pro eorum validitate non esse relicta in primevo Jure naturæ, sed subesse moderationi Juris positivi: & en quomodo statim languescat depredicatum momentum, quod sponsalia computari possint, & debeant quoad eorum validitatem inter actus metu injuste incusso elicitos jure naturæ validos.

A 3 14. Sed

14. Sed procedamus. Jus Canonicum præbet certam notam validitatis Sponsaliorum, quæ est, ut ex Sponsalibus validis, & absolutis omnibus oriatur publica honestas; Quapropter omnia ea Sponsalia, quæ absoluta sunt, & ex quibus Jus Canonicum, non vult quod oriatur, publica honestas, jam illa implicite decernit invalida, sed ex sponsalibus metu injustè incusso innitis Jus Canonicum non vult, ut oriatur publica honestas; quemadmodum fatentur, & ipsi Picler, & Mascat. Ergo Jus Canonicum non vult, ut valida sint sponsalia metu injustè incusso celebrata. Citatis Canonici Juris capitibus res confecta videtur, eorumque Postulationi completum. Capita autem Canonici Juris citanda, etsi perantiqua non sint, sunt tamen æqualis auctoritatis, ac roboris, eaque sunt quædam Sacræ Congregationis Concil. Tridentini Resolutiones decernentes, nullà esse sponsalia metu injustè incusso innita; Inter quas Bononien., seu Parmen. sponsalium die 25. Septembris 1700. relata in Tomo 9. Tesauri earundem resolutionum elucet. Causa erat: *Marchio, Petrus Giorgius Lampognanus Parmensis exoptans Matrimonium contrahere cum Comitissa Anna Maria Rosa de Pepulis Bononiensi: Hæc a Comite Giara de Pepulis ejus Fratre addicta fuit ad sponsalia inneunda cum prædicto Lampugnano, quæ per scripturam fuerunt stipulata; at ad supremum Tribunal Sacræ hujus Congregationis appellans prædicta Anna, ostendensque justum metum illi incussum a Fratre, conceptum fuit dubium. An Constet de Sponsalibus.*

Et die dicta 25. Septembris 1700. *Sac. Congregatio Concilii respondit:*

NEGATIVE,

Et in lib. 50. Decret.

Plurimæ aliæ id ipsum declarantes citari possent, sed quæ unius, etiam aliarum est Auctoritas, quæ tanta est, ut inquit celeberrimus Prosper Fagnanus Lib. 1. Decretalium de Constitutionibus Cap. *Quoniam*, ut in nullo discrepet ab ea, quæ est in Decretis summorum Pontificum; nam Gregorius XIV. per Litteras in forma Brevis eidem Congregationi impertitus est auctoritatem scribendi nomine Papæ; proinde infert idem Fagnanus, manifestum videri declarationes Sacræ Congregationis Concilii vim legis obtinere, & in utroque Foro obligare, & quidem quoad omnes: quod comulatissimè probat, alios Juris Textus allegando n. 8. & sequent. ejusdem Capitis citati Fol. 131. Fagnanum sequitur Meratus *Tom.* 1. *Tart.* 3. *Tit.* 12. *Fol.* 331. *Colum.* 2. appellans Declarationes, ac Decisiones Sacræ Congregationis Concilii Sanctiones, quæ obligant in utroque Foro §. *Præfata*.

15. Accedere posset Auctoritas Benedicti XIV. sæpius in præclarissimis suis operibus vel de Synodo Diœcesana, vel Notificationibus affirmantis supradictam Auctoritatem laudatis declarationibus concessam.

16. Quæ

16. Quæ, cum ita sint, apparet quoque ex eodem Trid., non oriri publicam honestatem ex sponsalibus metu justo, sed injustè incusso celebratis; cum apertè decreverit, quod ex sponsalibus quacunque ratione invalidis publica non oriatur honestas.

17. Hæc erant Jura in apertum producenda a nobis contra Auctores contendentes valida esse sponsalia metu injuste incusso innita. Non sunt tamen omittendi Auctores, qui scripserunt ante ennuntiatas Sacræ Congregationis Tridentini Declarationes sine ulla hæsitatione affirmantes, nulla esse sponsalia metu injustè incusso celebrata: Primus fuit Joannes Azorius *Lib. 1. Institutionum Moralium cap. 9. §. septimo Quærit.* Secundus Thomas Tamburinus *Lib. 8. de Matrimonio Tract. 3. de Sponf. Cap. 2. §. 2. n. 2. 3.* Tertius Patritius Sporer *Theolo: Sacramen. P. 4. Cap. 1. Sect. 2. §. 4. n. 170.*

18. Secundum superest momentum discutiendum pluribus Capitibus constans; quorum primum est: quod sponsalia ista non officiunt Matrimonio; adduntque ipsi rationem, *quia non obligant, neque sunt via ad Matrimonium metu, sed purgato metu sponte inneundum*. Verum hæc ratio prorsus falsa apparet; etenim quæ disputatio de validitate sponsaliorum institui potest, si eâ non obligent? Nonne ipsorum obligatio est unicus validitatis effectus, quo non habito, bene arguitur de nullitate causæ? Nonne hoc ipsum conspicitur in contractibus omnibus? Qui nisi pariant obligationem, nulli habentur? Sponsalia itaque vel contractus non erunt, vel si contractus, dum valida sint, obligationem parient? miror, quod hæc dicant; etenim ipsi definientes Sponsalia in genere, esse promissionem veram voluntariam, deliberatam, ac mutuam &c. Et exponentes verbum illud *Promissionis*, ita illud ipsum vertunt = *Promissio scilicet inducens obligationem: Hinc Propositum, vel simplex tractatus de inneundo Matrimonio absque promissione non sufficit*.

19. Per ipsos itaque promissio inducit obligationem, & per ipsos in sponsalibus ex metu injustè incusso factis promissio non inducit obligationem. Nonne hoc absurdum est? Ergo & absurdum, dicere, quod sponsalia tali metu facta, sint valida, & obligationem non pariant.

20. Hanc tamen contradictionem cavere arbitrantur dum, inquiunt, sponsalia ex metu facta non obligare, nec esse viam ad Matrimonium, quousque metus durat, at eo cessante equidem reviviscere, & statim obligare; proinde cum non sit de eodem tempore utraque Propositio contradictoria, nempe sponsalia obligant, sponsalia non obligant, verificari posse, ut uno tempore obligent, alio tempore non obligent. Sed nullum quoque est hoc effugium; quinimo impingunt turpiter in Leges Logicas. Etenim dum inquiunt purgato metu sponsalia obligare, a sponsalibus metum abigunt. Ergo non sunt sponsalia de quibus quæstio est, an obligent? Si inquam velint, ut eadem obligent, quia per ipsos pro-

missionem involvunt, cui promissioni essentialiter, adnexa est obligatio; Dicant, necesse est, sponsalia metu injuste incusso innita obligationem parere. Hoc enim tradiderunt de sponsalibus in genere Pichler: inquit loco supracitato: *Promissio, scilicet inducens obligationem: hinc propositum &c.* & Mascat. *Consensus sponsalitius debet esse verus: Nam sine animo se obligandi non est verus consensus.* Quando postea de sponsalibus metu injuste incusso factis agunt, manifeste dicunt, non obligare, neque esse viam ad Matrimonium, ut supra notatum est. Ergo velint nolint, coguntur, fateri dum dicunt, sponsalia metu injuste incusso innita non obligare, quod affirment etiam, eadem obligare; cum inter sponsaliorum species eadem ex metu injuste incusso innita recenseant, quarum genus importat semper obligationem, quia includit promissionem; quæ si tolleretur tota sponsaliorum ratio corrueret.

21. Verum, hoc etiam neglecto, illis obest Juris axioma: *quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur.* Si itaque sponsalia metu prædicto innita non pariant obligationem, ut docent ipsi, quomodo tractu temporis, idest sublato metu, incipient obligare? Si inquam id possent, oporteret, ut ab initio saltem quoad essentiam substitissent, etsi non quoad effectum. At de essentia ipsorum est obligatio, quia de eorum essentia est promissio, & de essentia promissionis est obligatio, quemadmodum fatentur & ipsi; Ergo ne quidem quoad essentiam ab initio subsistunt. Si autem non subsistant, quomodo tractu temporis firmari poterunt, ut obligationem inducant?

22. Quod porro dicunt, sponsalia metu injuste incusso facta valida quidem esse, sed non esse viam ad Matrimonium. Cum hic nomine viæ non aliud intelligi debeat quam præparatio ad Matrimonium contrahendum; Sunt enim sponsalia futurarum Nuptiarum promissio; nullius est momenti; nam quod aliud objectum haberent sponsalia, si futuras nuptias non haberent? Nonne contractus quilibet promissionem involvens de re aliqua emenda, aut vendenda, vel de alio quolibet faciendo, vel omittendo, est via, & preparatio ad ipsam venditionis, ac emptionis consumationem, vel alterius obligationis executionem præstandam? Sola verò sponsalia prædicto metu innita frustrari debent suo fine?

23. Sed, num hęc obsint Matrimonio, propius intueamur. Ea autem obesse, nimium fit manifestum; nam ita obsunt, ut ipsis perseverantibus, si contrahatur Matrimonium, nullum erit; cum nullum sit ex Trident. quodcumque Matrimonium simili metu innitum.

24. Neque dicant, nolle eos metum durare quo tempore Matrimonium contrahitur. Nam & nos dicemus, neque ipsa sponsalia, metu cessato, durare, aut quidquam influere in Matrimonium celebrandum; proindeque non vi ipsorum procedi ad celebrationem Matrimonii. Quod ipsi quoque tenentur dicere, ut omnem abigant a Matrimonio metum. Mascat *Lib. 4. Tit. 1. n. 15. in fine de Sponsal., & Matrim. Fol. 301.* 25.

25. Aliam adducunt rationem, qua contendunt valida prædicta sponsalia, & est obligatio standi, & exequendi datam promissionem ab eo, qui injustè metum incussit, favore metum passi, qui si exigat ab incutiente metum, ut deveniat ad celebrationem matrimonii, metum incutiens teneatur, devenire. Hæc, inquiunt, obligatio est effectus illorum sponsaliorum, quæ ratio nobis videtur inepta ad stabiliendam prædictorum sponsaliorum validitatem; non negamus, hanc obligationem equidem oriri ex libera oblatione facta ab incutiente metum favore metum passi, sed eam dicimus, non esse repetendam a validitate sponsaliorum prædictorum, sed solum a pura simplici promissione facta ab incutiente metum. Quemadmodum evenit in aliis similibus promissionibus repromissionem non obtinentibus, in quibus tantummodo remanet obligatus sponsor, sive spondens, non verò ille cui promissio exhibetur. At hujusmodi promissiones non esse sponsalia, sæpius est in Sacra Congregatione Concilii definitum, prætertim in Senogallien. Sponsalium 27. Septemb. 1738. *Ad primum Dubium ita conceptum: An constet de sponsalibus? Sac. Congreg. Respondit ad primum*

NEGATIVE,

cujus ratio habetur in §. *Hac itaque præmissa Regula: citatę Resolutionis: Tom. 8. Part. 2. Fol.* 147. *Tesauri*.

26. Quod autem hæc obligatio a sponsalibus jam dictis oriri nequeat, ostenditur: etenim si a sponsalibus obligatio hæc pendere deberet, nedum a promissione incutientis metum, sed etiam a promissione metum passi; At a promissione metum passi non oritur, ut patet, & conceditur ab adversariis; ergo a promissione sponsalium non oritur. Sed si ab ipsis non oriatur, jam nulla est ratio adducta pro ipsorum validitate. Ergo frustra &c.

27. Neque iis quidquam prodest actio metum passi contra incutientem metum ad rescindenda sponsalia, qua inquam actione putant ipsi, posse eum, qui patitur metum se ab obligatione sponsalium facillime solvere; hocque veluti remedium indicant contra absurda, & incomoda, quæ sequerentur si sponsalia prædicta valerent; videlicet quod metum passus teneretur, devenire ad celebrationem Matrimonii metu sponsaliorum durante, sed & hoc excogitatum remedium deterius foret malo, quod curare deberet.

28. Quod antequam ostendatur, advertimus, hypothesim esse impossibilem; quemadmodum supra ostendimus. Nam si sponsalia metu injuste incusso innita sint nulla, non est opus remedio actionis contra incutientem metum, quia non entis nullæ affectiones, nullaque contra ipsum remedia.

29. At data impossibili hypothesi, scilicet, quod sponsalia metu injustè incusso valida essent, sufficeret ne indicatum ab ipsis remedium pro exclu-

cludendo metu, ne unquam Matrimonium, cujus essent sponsalia, afficeret? non equidem; etenim dari posset, quod metum passus coram Judice probare nequiret, se fuisse metu adactum ad sponsalia innecunda defectu v. g. Testium, vel nequitia Judicis probationes reppellentis; tunc enim hic miser vi præcedentium sponsalium, urgente Judice, teneretur Matrimonium contrahere. Esset ne hoc Matrimonium metu solutum? quæ libertas in hoc Matrimonio? ea ne, quæ a Concilio requiritur? Sed hæc dimittamus; & secundam causam, ob quam sponsalia non essent libera expendamus, quæ est error.

30. Nihil enim magis consensui opponitur quam error. Error autem in contractibus, nullum reddens contractum quemlibet triplex est. Primus est error circa substantiam contractus. Secundus est circa substantiam rei contractatæ. Tertius denique est circa qualitatem rei contractatæ assumptam per modum substantiæ.

31. De erroribus aliarum qualitatum non præstat dicere, quia non vitiant contractum, sed vitiantur ab ipso.

32. Ponamus exempla horum trium errorum in ipsismet sponsalibus. Putat Titius per promissionem futurarum nuptiarum, se de præsenti contrahere Matrimonium. Errat, ut omnibus patet, & hic error versatur circa substantiam contractus; Nam Matrimonium substantia diversum est a sponsalibus: & en exemplum erroris circa substantiam contractus. Sponsalia contrahit idem Titius cum Seja, quam putat esse Semproniam: en quod error cadit supra substantiam rei contractatæ, idest personæ. Tandem Titius ipse contrahit sponsalia cum eadem Seja putans, esse nobilem, vel divitem, vel ex tali Familia; quas qualitates ita est contemplatus, ut nullo modo si abessent, sponsalia inniret. Si his qualitatibus careat Seja, erravit Titius, & quidem in re, seu qualitate, quam per modum substantiæ assumpserat, dum ad sponsalia innecunda processit. Omnes tres isti errores invalida reddunt sponsalia, quia omnes prorsus contractus in quibus interveniunt, nullos reddunt.

33. De spontaneitate, ac libertate sponsaliorum diximus, superest, ut dicamus de veritate. Promissio inquam sponsaliorum debet esse vera, idest, quod animus promittentis verbis promissionis respondeat. Si vero non respondeat, promissio ficta dicitur.

34. Plures excitari solent de ficta promissione quæstiones, quarum aliquæ versantur circa naturam fictæ promissionis, & aliæ circa effectus ab ea promissione provenientes. Quatuor solent indicari promissiones, quæ fictæ vocantur.

Prima est promissio sine animo promittendi.

Secunda est promissio cum animo quidem promittendi, sed non se obligandi.

Tertia est promissio animo promittendi, & se obligandi, sed non adimplendi.

Quar-

Quarta est promissio prescindens ab animo promittendi, se obligandi, & adimplendi.

Ex his quattuor speciebus promissionum, quæ fictæ dicuntur, quæritur quænam verè ficta dici possit, & an omnes.

35. Quoad primam dicimus, eum, qui promittit sine animo promittendi, revera fingere; nam aliud ore profert, aliud tenet in corde, neque opus est, ut pluribus verbis declaretur.

36. Qui, inquam, ita promittit, revera fictè promittit.

37. Quoad secundam, qui promittit cum animo promittendi, sed non se obligandi, vel advertit, ad essentiam promissionis pertinere obligationem vel non. Si primum & revera excludat animum se obligandi, æquiparatur promittenti sine animo promittendi; proinde & hæc promissio prorsus ficta erit. Si non præviderit, ad essentiam promissionis pertinere obligationem, & tamen sincero animo voluerit promissionem, jam promissio non ficta erit, sed vera, cum non amplius in ejus potestate sit excludere essentialia promissionis, quam verè voluit; propterea, quoad hanc secundam partem non est ficta promissio.

38. Quoad tertiam, qui promittit cum animo promittendi, & se obligandi, sed non adimplendi, hic non fictè promittit, sed vere; etenim vera promissio non aliud postulat, nisi animum in promittente imponendi sibi vinculum, & obligationem præstandi promissa, non verò exigit paratum animum exequendi promissa; hic enim posterior animus extraneus est obligationi promissionis; propterea vel sit, vel absit incorupta manet promissionis essentia; Ergo cum hoc animo non vitiatur, nec ficta dici potest.

39. Quoad quartam, qui promittit præscindens ab animo promittendi, se obligandi, & adimplendi, hic vel psitacus est, vel homo; non primus ergo homo, sed si homo, atque humanum gerens morem non potest taliter promittere; etenim promittere præscindendo ab animo promittendi idem est, ac loqui prescindendo a verborum significatione, at qui ita loqueretur, non homo esset humano modo loquens, quia uteretur verbis non ob significationem, quam habent, a qua præscinderet, sed, ut vocibus garitui avium similibus: & revera, si quæratur, an sit possibile, quod quis promittens prescindat ab animo promittendi, respondere oportebit, omnino esse impossibile, quia illud præscindi nequit a re, si illud ipsum ad essentiam rei pertineat; sicut ab Homine præscindi nequit rationalitas, quoties Homo ipse considerari debeat; ergo idem dicendum de promittente præscindente ab animo promittendi. Alias re bene perpensa resolvetur in primam speciem, videlicet illius, qui promittit sine animo promittendi. His præmissis dicimus, in sponsalibus intercedere posse fictam promissionem, scilicet primæ speciei, & etiam secundæ quoad eam partem, qua ficta est.

40. Pri-

40. Primam assertionem demonstramus exemplo: Sempronius promittit Bertæ, eam ducturum in Matrimonium, idque externè, sine animo promittendi, vel se obligandi. Hujus animum non animadvertit Berta, propterea repromittit Sempronio ipsi nupturam.

Ficta est promissio Sempronii; proinde nulla, hæcque cum repromissione Bertæ non coalescit in sponsalia: Quare ficta? quia aliud ore profert Sempronius, aliud habet in corde; nam in corde habet determinationem vel non promittendi, vel non se obligandi, & ore profert verba significantia, & promissionem, & obligationem. Ergo fingit, & mentitur; estque propterea dicta promissio ficta.

41. Ex quo est ficta, quæritur an valeat, & quam obligationem pariat.

42. Resp. ipsam nihil valere; cum essentia cujusvis contractus non subsistat absque vero consensu interno. *Ex cap. 26. hoc t. Leg. 2. D. de Ritu Nupt.*, *& Cap. Fin. de præb.* in quo habetur: *quod actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum.*

43. Si autem nihil valeat ficta promissio, nullam parere poterit obligationem; vi ergo similis promissionis non tenebitur promittens, ultra procedere ad Matrimonii celebrationem.

44. Si autem in aliqua hypotesi, qui ita promisit, coactus fuerit, vel cogatur ad Matrimonium ineundum, ex eo tantum procedet, quod ipse probare non potuerit simulationem promissionis, non vero, ex eo quod promissio prædicta fuerit valida, & obligatoria. Nam si eam probaret, allegata superius jura illi faverent. Defectu verò probationis illi semper obstabunt dispositia *in Leg. 7. §. 2. D. de Supel. Leg.*

45. Verum tamen est, eum graviter peccare, qui ita promittit, & peccato mendacii, & peccato injustitiæ, peccato mendacii, quia veritas, quæ simulatur, est de re gravi, & peccato injustitiæ, quia lædit graviter jus alterius repromittentis. Etenim qui exhibet tibi suam promissionem, quæ est quid grave, jus habet consequendi a te promissionem similiter gravem; Ergo si eam dare simules, jam eum in re gravi decipis, & quamvis vel nulla sint secutura damna reprimittenti, vel repromittens prævideatur non admodum curaturus adimplementum præfatæ fictæ promissionis, sibi tamen quoad fictionem ignotæ, ut dici possit vel leve, vel nullum esse peccatum in eo qui promissis non stetisset, adhuc dicimus eum graviter peccare etiam sub dictis prævisionibus, qui fictè promittit; quia promissio hæc scilicet sponsaliorum est de re natura sua gravi, quæ sicuti dat jus strictum, & grave uni ex contrahentibus cogendi alium ad celebrationem Matrimonii, ita idem jus dat alteri, licet hic alius parum curet de tali jure; propterea semper verum est, quod fictè promittens ledit jus grave repromittentis; quod jus grave venit a natura sponsalium, non verò ab arbitrio alterutrius ex contrahentibus. Propterea discrimen apparet inter hoc jus ex natura sponsalium

lium otiens, & obligationem procedendi ad celebrationem Matrimonii. Nam procedere, ad celebrationem Matrimonii suppositis sponsalibus innitis est effectus liberę voluntatis alterutrius ex contrahentibus, libè inquam instantis pro executione promissionis obtentæ in sponsalibus; quæ si prævideatur non curari ab alia parte; vel nullo modo peccatur, vel leviter tantum ab eo, qui graviter non requisitus, non procedit ultrà ad celebrationem Matrimonii; cum secuta quasi videatur saltem implicitè remissio obligationis contractæ in sponsalibus præcedentibus. At in jure superius dicto hæc contingere nequeunt, quia a natura sponsalium, non a libera contrahentium voluntate descendit; atque hinc variæ nascuntur obligationes; quarum prima est, quod ficte promittens teneatur sub gravi removere fictionem, idest internum animum reddere conformem externę promissioni, quæ obligatio semper urget post fictam promissionem. Nam quoties differtur, semper injustè detinetur vera repromissio alterius, & non datur jus repromittenti, quod est pretium solutæ repromissionis.

46. Si autem nolit removere fictionem, verum equidem est, quod non tenebitur procedere vi simulatæ promissionis ad Matrimonium ineundum; tenebitur tamen omnia damna reficere obventa, & forte obventura parti, quia sicuti injustè detinens rem alienam, ex qua retentione damna obveniant domino rei, tenetur hic, & rem restituere, & damna omnia reficere, ita qui ficte promisit, cum receperit veram promissionem ab alio repromittente, eam injustè detinet, quousque eandem non conjungit cum sua, quæ & ipsa vera sit; hinc fit, ut damna, quæ sequuntur repromittenti ob hanc injustam detentionem repromissionis, simili modo, ut ille superius dictus, teneatur, & repromissionem remittere promittenti, & damna omnia eidem reficere a die habitæ repromissionis usque ad diem relaxatæ dictæ repromissionis secuta; Quod si post relaxatam repromissionem damna sequantur repromittenti, eo quia ipse repromittens contenderit non retrohabere suam promissionem, sed consequi loco fictæ promissionis veram promissionem ab eo, qui prius fictè promisit, tunc ea damna resarcire non tenebitur in foro conscientiæ, qui fictè promisit. Et ratio est, quia non tenetur ratione fictæ promissionis, cum ipsa nulla fuerit, & nullam pepererit obligationem: non ratione injustæ detentionis repromissionis, quam supponimus remisisse; ergo nulla radix in eo conspicitur obligans ad reparanda damna. Nam ea, quæ sequuntur post relaxatam repromissionem, ea omnia proveniunt a libera voluntate repromittentis contendentis contra promittente, ut removeat fictionem; propterea tunc factus est certior, se nihil obtinuisse ab eo, qui fictè promisit; proindeque quæcumque damna, quæ sequuntur post hanc notitiam, obveniunt illi culpa sua, & sui arbitrio, quia ea tunc cavere potest, si velit. Et patet remissum fuisse

in

in integrum jus repromittentis a fictè promittente, dum illi restituit suam promissionem, declarando se fictè promisisse: Si autem alia sint damna secuta, non tanquam a causa, sed occasione tantumodo prædictæ promissionis fictæ, sicuti est copula obtenta intuitu sponsaliorum, quæ non est effectus fictæ promissionis; nam etiam si vera fuisset promissio, non induceret natura sua ad copulam habendam, sed solum ad Matrimonium, minus postea ficta, cum nullius sit roboris, & ad nihil inducat; proinde copula quæ subsequitur dici nequit effectus fictæ promissionis, sed tantumodo dici potest, fictam promissionem fuisse occasionem, qua facilius copula obtineretur; v. g. Titius promisit Bertæ Matrimonium futurum, sed fictè, atque inde petiit ab ea copiam sui corporis, quam obtinuit præcise intuitu datæ promissionis, & ob id venerunt damna Bertæ. Hæc inquam damna non recognoscunt pro causa fictam promissionem, quam neque copula illa pro causa recognoscit: Ergo non vi promissionis fictæ damna illa sunt resarcienda. Propterea illa metiri non poterunt secundum Leges promissionis pro reparatione facienda, sed tantumodò juxta exigentiam extortæ copulæ, tantumodo consideranda, præscindendo a quacunque præcedente vera, vel ficta promissione.

47. Quæ hactenus diximus in abstracto, concretè applicari debent ad peculiares casus. Et primò dicimus eum, qui fictè promisit puellæ, cui damnum hoc obventum est, ut nulli amplius nubere potuerit ejusdem conditionis, ac gradus, quo fuisset ille, qui fictè promisit, dicimus inquam, hunc teneri eam ducere; cum alia tunc non sit via, reparandi illatum damnum. Si autem alia via foret, nempe per augmentum Dotis, vel alio modo, liberum esset eidem, qui ficte promisit, vel eam ducendi, vel Dotem præstandi. *Leg. Sæpe 53. D. de V. S.*

48. Secundo dicimus eum, qui intuitu promissionis fictæ obtinuit copulam, & damna sint puellæ secuta, teneri ea resarcire non secundum Leges promissionis, quæ nulla fuit, sed secundum Leges illati stupri, ut non ultra teneatur, quam ille, qui stuprum cum eadem Berta comisisset absque ulla præcedenti promissione; quia sicuti promissio non influxit in stuprum, ita neque influxit in damna secuta ex stupro, vel Fornicatione. Quam Doctrinam mirificè S. Antoninus *Part. 2. T. 5. Cap. 6. de Stupro Fol. mihi 683. Lett. C. Colum.* 1. confirmat, inquiens: *Si autem seduxit*, (nempe deflorator,) *puta promissionibus, & mendaciis, non videtur fuisse voluntaria*, (idest Puella stuprata,) *Invitam ergo, & seductam, si constupravit; injungendum est sibi, quod satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat*. Patet ergo ex hac auctoritate, quod promissiones mendaces nullam inducant obligationem; Nam si aliquam inducerent, non esset locus arbitrio boni viri, cum ipsæ satis de se determinarent, ad quid teneretur fictè promittens. Locus itaque arbitrio boni

viri

viri tantummodo est, dum per æquitatem stabiliendum sit quid reficere debeat, & quantum, qui damna intulit, ita, ut munus sit boni viri, gravitatem damnorum metiri, eisque correspondentem statuere compensationem. Quod profecto facere non potest, si pacta præcesserint, rem ex. gr. & pretium determinantia: quemadmodum foret in casu puellæ dantis copiam sui corporis, sub pacto obtinendi Matrimonium, illi, qui ficte Matrimonium promisisset. Si ergo ex S. Antonino eo in casu relinquitur arbitrio boni viri statuere, quid puellæ sit præstandum pro reintegratione illati stupri; jam patet, eundem sanctum Doctorem fateri promissiones fictas præcedentes nullam inducere obligationem; & revera clarius se manifestat, dum eas a veris secernit; ponit enim infra casum, quo quis verè promittat sponsalia, subque hac promissione extorqueat copulam, & inquit: *Etsi promisisset eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum?* Quare autem velit, quod servet promissum; nisi quia vere intercessit promissio, ad quam servandam tenebatur etiam non obtenta copula; proinde obligatio, eam ducendi primò venit determinate à promissione, secundo indeterminate a copula, quia copula de se non exigebat, nisi refectionem damnorum, quæ ab ipsa oriri possent; dixi indeterminate, quia pro istis resarciendis daretur locus arbitrio boni viri; quapropter si promittens simul, & deflorans sub spe Matrimonii defloratam ducat, unica actione, & complet promissionem, & reficit damna, quæ quanta esse possint, majorem Matrimonio exigere nequeunt compensationem. Neque valet, quod pro viribus tueri conatur Picler, dum inquit inter fictè promittentem sponsalia, & puellam exhibentem copiam sui corporis eidem, intuitu Matrimonii futuri intercedere contractum innominatum, *do* nempe ex parte puellę copiam mei corporis, pacto ut me ducas in Matrimonium, qui acceptando copulam, si non expresse, saltem tacitè repromittit, vel saltem repromittere tenetur. Propterea hoc casu teneri prædictum ficte promittentem obtenta copula procedere ad celebrationem Matrimonii. Neque inquam valet hujusmodi ratio deducta ex hoc innominato contractu; Nam etiam in hoc intercedere potest fictio, cum recipiens copulam exhibitam a Puella sub pacto futuri Matrimonii, possit quidem illam acceptare excludendo animum præstandi, quod inde ex pacto postulavit Puella. Quapropter etiam in hoc contractu *do, ut facias* fictio intercedere potest, ut de se liquet. Si autem fictio intercedere possit, jam quæ dicta sunt de ficta promissione sponsalium, dici etiam possunt de hoc contractu innominato: *do ut facias* præsertim cum hic contractus more aliorum essentialiter non involvat verum utriusque contrahentis animum ex sola verborum, vel signorum manifestatione.

49. Quod si requirat a ficte promittente, quod debeat removere fictio-

ctionem, & vere repromittere, id & nos concedimus, & diximus supra, dum fassi sumus, eum peccare graviter, tum primo in fictione ponenda, tum etiam semper quousque differt removere fictionem, hocque propter rationem ibi positam. Sed hoc non effecit, quod verus contractus extiterit ille *do, ut facias* si illi defecerit consensus ficte promittentis; proinde nisi aliunde probet, teneri hunc ad eam ducendam, praecise ex enunciato contractu deduci nequit. Quinimo satis non esse deflorationem sub spe Matrimonii a Virgine obtentam pro inducenda vel validitate sponsalium, vel obligatione procedendi ad futurum Matrimonium, quocunque animo vel serio, vel ficto obtenta sit, definitum est in Ventimilien. sponsalium 2. Maii 1722. *Tom. 2. Thesaur. Fol. 163.* sub hoc dubio: *An Thomas teneatur ducere in Uxorem Luisettam, vel potius judicandus sit liber ad contrahendum cum alia muliere Matrimonium in casu?*

Respondetur (*NEGATIVE quoad primam partem,*
(*AFFIRMATIVE quoad secundam partem.*

Atque per hanc resolutionem prorsus sublatae sunt Auctorum praecedentium opiniones, de hac re.

50. De promissionibus fictis tertio, & quarto modo supra indicatis nihil dicendum occurrit, quia istae, etsi dicantur fictae quoad vocem, sunt tamen quoad rem verae, ut in iis exponendis ostendimus; proinde quidquid de veris praedicatur quoad obligationem; de istis etiam dicendum erit; superest ergo, ut in explicatione definitionis sponsaliorum procedamus.

51. Debet itaque esse promissio sponsalium spontanea, & libera, & vera, ut nuper diximus, debet quoque esse mutua, seu reciproca, idest consensus ab utraque parte datus, & mutuo acceptatus, cum utramque partem obligare debeat ad ineundas nuptias. *Leg. 1. D. h. T., & Julian: Leg. 11. eodemq; T. Sponsalia sicut nuptiae consensu contrahentium fiunt.* Sicuti ergo nuptiae, ut valeant, requirunt ex utraque parte consensum datum, & mutuò acceptatum, ita ex allegata juris dispositione id ipsum requirunt sponsalia. Et expresse est decisum in una Sacrae Congregationis Tridentini resolutione. Pisauren. Sponsalium 10. Junii 1750. *cujus dubium est: An Sponsalia de quibus agitur, sint exequenda in casu &c.*

Respondetur *NEGATIVE, ET AMPLIUS.*

Tom. 14. Thesauri Fol. 122., & Fol. 119.

52. Si autem promissio ab una parte fiat, & etiam ab altera acceptetur, sed sine repromissione futuri Matrimonii, haec in sponsalia non transit, sed superest, liberale, & gratuitum pactum obligans solum promittentem, ut procedat ad Matrimonium celebrandum. An vero vi dictae promissionis graviter, vel leviter se obliget promittens, hoc colligendum est ab ejus animo; nam licet materia promissa qualis est futu-

rum

rum Matrimonium, res de se gravis sit, quia tamen promittens nullum aquirit jus contra acceptantem, sicque promissio ejus omnino liberalis supersit, atque gratuita, non aliam Legem obligationis habet, nisi quam recepit ab animo promittentis; fieri tamen potest, quod promittens, quamvis non habuerit animum graviter se obligandi, teneatur sub gravi procedere ad Matrimonium promissum; quod evenire poterit ex damnis illatis promissariæ, quatenus illa fidens habitæ promissioni renunciaverit alteri Marito sibi oblato.

Quod si promissio hujusmodi non fuerit ne quidem acceptata ab altera parte, tunc promittens ad nihil tenebitur, eo quia oblata promissio quousque non acceptata, tota remanet apud promittentem: quemadmodum legatum alicui factum, quousque non acceptetur, hæreditali conjunctum superest: *Leg. Legatum 37. D. Inforz. de legatis*.

53. Diximus requiri repromissionem, & non sufficere meram acceptationem, quæ & ipsa sit expressa sicuti promissio; quamvis non defuerint plurimi, qui vel implicitam, vel tacitam sufficere arbitrati sunt pro validitate sponsalium: quam implicitam, & tacitam dixerunt consistere in virtuali repromissione contenta in ipsamet acceptatione, ut Enriquez, & Pontas.

Verum his opponitur *Lex 1. D. h. T.* in qua sponsalia dicuntur: *Mentio, & Repromissio futurarum nuptiarum*. Et superius proximè relata sacræ Congregationis Tridentini ressolutio. Nam si mentio expressa esse debeat, eadem ratione expressa esse debet & ipsa repromissio. Et revera cum sponsalia sint contractus onerosus, & quidem pariens gravem obligationem ex utraque parte, censeri nequit aliquem se velle obligare, nisi expresse se manifestet; cum juris axioma sit, quod in odiosis, *qui tacet consentire non videatur*, & in onerosis, *qui tacet nec consentire, nec dissentire videatur*. Ergo nisi accedat expressa repromissio, non posset constare de validitate sponsalium primo promittenti.

54 Accedit, quod Ecclesia pro validis ea non habeat sponsalia, quibus defficit repromissio, cum ex iis non definiat, nec velit oriri publicam honestatem, *eadem supra citata ressolutio*.

55. An verò esse possint circumstantiæ, in quibus sola acceptatio manifestata reduci possit etiam ad repromissionem videbimus agentes de verbis, ac signis, quibus sponsalia contrahi possunt.

§. II.

Promissio sponsalitia vel absoluta, vel modalis, ac modorum multiplicitas.

1. EXposita promissione sponsaliorum prout reciprocâ, superest de speciebus ejusdem dicere.

Potest enim sponsalitia promissio esse vel absoluta, vel modalis.

2. Promissio absoluta ea est, quae liberè exhibet promissario jus ad objectum promissum.

3. Modalis est, quae exhibet non libere, sed certo modo idem jus promissario ad objectum promissum. Exemplis utraque promissio illustratur.

Promittit Titius Matrimonium futurum Bertae, & ita liberè promittit, ut suam promissionem nolit pendere a quoquam extraneo essentialium dictae promissionis. Hic dicitur absolutè promittere, ejusque obligatio incipit statim urgere ad Matrimonium inneundum. Idipsum dicatur, de repromissione absolutâ. Atque ex his veniunt sponsalia absoluta, a quibus tantumodo oritur publica honestas, ut ex Cap. unico de Sponsalibus in sexto: Ubi legitur: *Ex sponsalibus puris, & certis.... oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel Matrimonia, non autem ad praecedentia dissolvendum, impedimentum justitiae publicae honestatis.*

Quae decretalis licet fuerit correcta a Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* quoad eam partem, qua decernebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodo non ex defectu consensus, oriri publicam honestatem, & quoad extensionem ejusdem impedimenti, usque ad quartum gradum; non fuit tamen correcta quoad eam partem, qua statuitur sponsalia esse oportere absoluta, ut pariant praedictum honestatis impedimentum. Trid. Caput recolatur; & en exemplum promissionis absolutae.

Exemplum modalis sit: Sempronius promittit futuras Nuptias Ceciliae, vel sub conditione, si fuerit nobilis, vel, ut petat consensum a Genitoribus, vel ad diem, idest promittit futuras nuptias usque ad diem talem, quo elapso, & non celebrato Matrimonio ob defectum alterius partis promissariae, vult ulterius non teneri.

4. Ex hoc exemplo plures noscuntur modi, quibus sponsalitia promissio affici potest.

5. Primus est conditio, secundus est modus, tertius est dies.

Conditio multiplex est, & primo alia est de praeterito, alia de praesenti, alia de futuro. Conditiones de praeterito, & de praesenti appositae in promissione, licet eam efficiant modalem, quia tamen tempore promissionis, debent esse purificatae, non suspendunt plenariam obligationem sponsaliorum; proinde sponsalia his promissionibus confecta ab absolutis non distin-

ſtinguntur, tum quoad obligationem, tum quoad alios juris poſitivi effectus producendos, nempe publicæ honeſtatis. Etſi videantur dictæ conditiones ſuſpenſionem effectuum inducere, revera non inducunt, ſed tantummodo exigunt, ut de ipſis requiratur; an revera tempore celebratorum ſponſalium fuerint ne purificatæ, vel non? Nam ſi fuerint purificatæ, ut diximus, valida, & abſoluta fuerunt ſponſalia, ſi non, jam eo ipſo tempore nulla extitere. Sicque dilatio temporis, quæ admittitur in executione hujuſmodi ſponſalium, procedit tantummodo ex eo quod non cognoſcebantur purificatæ dictæ conditiones, non autem, quia ſuſpenſa maneret eotundem ſponſalium obligatio.

Conditiones porro de futuro eæ ſunt, quæ ſuſpendunt validitatem ſponſaliorum; quæ appoſitæ non aliud præſtant, niſi obligationem in ſpondentibus vel expectandi putificationem ipſarum, vel etiam obligationem curandi, ut purificentur, ſi earum purificatio pendeat ab arbitrio alterutrius ex contrahentibus.

Sicuti conditiones multiplices ſunt ſecundum diverſas temporis circumſtantias, ut vidimus, ita & multiplices ſunt ſecundum materiam, circa quam verſantur. Nam aliæ poſſunt eſſe de materia impoſſibili, poſſibili, contingenti, aliæ de materia turpi, honeſta, aut indiferenti. Propterea aliæ dicuntur impoſſibiles, aliæ poſſibiles, aliæ contingentes, aliæ turpes, aliæ honeſtæ, & aliæ demum indiferentes. Etſi videatur res longa de omnibus dicere, tamen ea brevitate, qua poſſumus, de ſingulis opportuna notabimus.

6. Quamvis dubitari nequeat, quin apponi poſſit conditio de futuro ſponſalibus, ſicuti apponi poteſt aliis contractibus, tamen ſi ea ſit de re impoſſibili, dubitant Auctores, an ſtatim ab ea vitientur ſponſalia, ità ut ſtatim nulla ſint, & nullam pariant obligationem; quod rationi conſonum nobis videtur eſt, ſponſalia nullatenus valere, ſi impoſſibilitas materiæ, de qua conditio appoſita eſt, innoteſcat apponenti ipſam conditionem. Quia qui deprehendit conditionem eſſe impoſſibilem, & nihilominus eam apponit promiſſioni ſuæ, jam ligat ſuum conſenſum eidem impoſſibili conditioni. Igitur quoad effectum perinde eſt, ac ſi fictè promitteret, quia certus eſſet nunquam purificandam eſſe appoſitam conditionem, a cujus ſola purificatione voluit ſuæ promiſſionis obligationem oriri poſſe. Neque opponatur Matrimonium valete, etſi ſimiles conditiones apponantur eidem; nam de Mattimonio diſpoſitum eſt in jute *Cap. Fin. de Conditionibus appoſitis*, quod tanquam non adjectæ ipſæ habeantur: proinde valet Matrimonium cum harum appoſitione celebratum. Sponſalia autem, quia in hac parte ſunt relicta diſpoſitionis juris naturalis, ac civilis, cum ejuſdem conditionis impoſſibilis appoſitione celebrata nulla ſunt, ſicuti irriti ſunt quicunque actus, atque contractus quibus adnectitur conditio impoſſibilis.

7. Quare postea Sacramentum Matrimonii exceptum fuerit a jure, ne a dictis conditionibus vitiaretur, id in bonum Sacramenti consultum est, quia non debet præsumi, quod animo irrisorio, ac doloso ad illud celebrandum accedant contrahentes; quemadmodum foret, si conscii de impossibilitate conditionis, eandem Matrimonio apponerent. Ex quo infertur, quod si apponat aliquis conditionem impossibilem, non tamen impossibilem cognitam, sed habitam verè ut possibilem, tunc valeant sponsalia, atque ipsa habeatur tanquam non apposita. Etenim qui init sponsalia cum appositione conditionis sibi visæ possibilis, sed a parte rei, & natura impossibilis, hic sincero animo promittit, quin imò hic non habet animum alligandi suum consensum nisi conditioni possibili; etenim si alium haberet animum, non amplius sincere promitteret, sed irrisoriè, quemadmodum supra vidimus; ergo ne dicatur irrisorie promittere, dicendum est, quod habeat animum, cognita impossibilitate conditionis appositæ, ab ea divellendi suum consensum, eumque ut executionis possibilem relinquendi; sed relinqui nequit ut executione possibilis, & realis talis consensus, nisi supersit validus independenter ab ipsa; ergo a conditione impossibili, sed habita ut possibili, non vitiantur sponsalia, sed conditio ipsa ut non apposita habetur ex præsumpta voluntate promittentis.

8. Quæ diximus de conditione a parte rei impossibili, sed cognita, aut habita ut possibili ab apponente, procedunt solummodo de conditione absolutè impossibili, idest quæ talis sit, ut nulla hominum facultate purificari possit. Nam si, licet difficillimè, purificari tamen possit potestate hominum, erit tunc conditio respectivè impossibilis, quæ si apponatur suspendit obligationem Sponsaliorum: dummodo non sit in potestate ipsius apponentis eam purificandi, nam si esset in potestate apponentis, pro non adjecta haberetur, quia tunc purificatio conditionis a nullo alio impediri posset, nisi a mutatione voluntatis ejusdem promittentis. Itaque sicuti repugnat promissio facta animo eam revocandi ad nutum, ita repugnat appositio conditionis, cujus purificatio pendeat ab arbitrio promittentis; proinde pro non adjecta habetur.

Diximus appositionem conditionis respectivè impossibilis, cognitæ tamen ut possibilis suspendere obligationem Sponsaliorum, proinde obligare usque dum manifestata est impossibilis; quia quousque manet apud Contrahentes sub specie possibilitatis, jam apud ipsos non distinguitur a conditione natura sua possibili; sed conditiones natura sua possibiles appositæ sponsalibus ea non irritant, sed suspendunt eorum obligationem; ergo idem dicendum de conditionibus respectivè impossibilibus, & cognitis ut possibilibus.

9. Est tamen notanda disparitas inter conditiones absolutè impossibiles cognitas ut possibiles, quæ non suspendunt sponsalia, sed pro non adjectis

ctis habentur, & conditiones respectivè impossibiles cognitas, ut possibiles, quæ, ut diximus, suspendunt sponsalia, & pariunt obligationem expectandi earum purificationem, donec usque clarescant respectivè impossibiles.

Quam sic exponimus. In eo itaque discrimen consistit, quod conditiones absolutè impossibiles, etsi cognitæ sint ut possibiles, nulla potestate humana purificari possint; proinde nulla rationabilis spes esse possit in mente contrahentium, quod purificentur, sed sola illusio ex falsa apprehensione possibilitatis earundem; proinde adjectæ sponsalibus nihil operantur, sed pro non adjectis habentur.

Contrà verò Conditiones impossibiles respectivæ, cognitæ ut possibiles, quia potestate hominum purificari possunt relinquunt rationabilem spem in Contrahentibus, vel saltem in uno ex iis, quod purificentur; proinde cum apponens hujusmodi conditiones non aliud intendat nisi quod humana potestate fieri potest, (ut semper licet intendere, & rationabiliter experi:) sequitur, quod si apponantur dictæ conditiones, quia prudenter appositæ, non vitiabunt Sponsalia, sed eorum obligationem suspendent; nam ab apponente hujusmodi conditiones habentur, ut verè possibiles; atqui possibiles conditiones apponi possunt; ergo etiam eæ, quæ ut possibiles cognoscuntur.

10. Superest de contingentibus conditionibus dicamus, quæ præcise qua tales apponi semper possunt; neque censentur manifestativæ animi irrisorii, nisi ita essent indiferentes, de quibus infrà, ut nulla prorsus utilitatis, aut decentiæ ratio appareret, cur ipsæ apponerentur. Itaque si apponentur, suspendent sponsalia, & parient obligationem expectandi ipsarum eventum, quo obtento, sicuti in omnibus aliis conditionibus, Sponsalia de conditionatis transeunt in absoluta. His expositis ad alias tres conditiones, nempe turpes, honestas, ac indiferentes exponendas accedimus.

11. Conditiones turpes eæ sunt, quæ involvunt indecentiam, ut pudere deberet eum, qui eas apponit; aliæ autem sunt intrinsecè turpes, aliæ vero extrinsecè turpes.

Illæ sunt turpes intrinsecè, quæ appositæ inducunt indecentiam in ipsammet naturam contractus, vel objecti ejusdem contractus.

Afferentes inquam turpitudinem contractui Sponsaliorum sunt. Ex. Gr. Dum promittens Sponsalia Amasiæ sub conditione obtinendi ab ea Copulam, quia tunc nimium dedecet, quod ipsa Sponsalia, quæ esse debent via, ac præparatio ad honestum, ac licitum Matrimonium, tunc sint inductiva ad illicitam Copulam; propterea maculatur eorum natura ab apposita conditione.

Inferentes autem turpitudinem objecto Sponsaliorum essent eæ, quæ oppositionem haberent ad alterutrum ex bonis Matrimonii; videlicet vel Pro-

lis, vel Fidei, vel Sacramenti. Conditiones extrinsecè turpes nullam inducunt indecentiam, vel in naturam contractus, vel in objectum ipsius; sed tantumodo in aliis spectantibus ad honestatem vitæ; puta, si quis promitteret Sponsalia Feminæ ea conditione, ut eam sociam haberet in Furtis patrandis, vel ut Sagam ageret, vel aliquid simile, malum quidem, sed nullatenus oppositum naturæ Sponsaliorum, aut Matrimonio ipsi.

12. Conditiones vel intrinsecè, vel extrinsecè turpes appositæ Sponsalibus, quando ex animo apponantur, invalida reddunt Sponsalia. Ratio est patens, quia Sponsalia cum sint pura promissio aliquid præstandi in futurum, si illud futurum præstari nequeat sine peccato, ad illud ponendum obligare non possunt; etenim jure naturæ irritum est quodcumque vinculum ad illicita præstanda cogens.

An postea, quia turpes, habeantur tanquam non appositæ, sicque Sponsalia superfint valida, & absoluta, suspicio esse posset, si pro ipsis Sponsalibus jura positiva procederent, quæ de Matrimonio. Sed cum hæc non fuerint contemplata a jure positivo quoad conditiones his apponendas, neque sint necessaria, quia Matrimonium iniri potest sine ipsis, & sint etiam plura juris remedia pro iis solvendis, quæ non habentur pro dissolvendo Matrimonio; hinc est, quod si apponantur conditiones turpes, illæ vitient Sponsalia, non autem Sponsalia vitient ipsas.

13. De conditionibus honestis præstat nunc dicere, & quia non de iis, quæ de præterito, vel de præsenti sunt, quemadmodum supra statuimus, nunc loquimur, sed de iis, quæ sunt de futuro; Propterea affirmamus has conditiones apponi posse Sponsalibus, quæ eadem suspendent usque ad ipsarum purificationem, qua habita sine novo Contrahentium consensu in absoluta transeunt, obligationem inde producentia procedendi ad Matrimonium ineundum, & publicam parient honestatem. Intermedio autem tempore, idest a Sponsalibus initis sub dicta conditione usque vel ad purificationem, vel ad desperationem purificationis, etsi valida fuerint sponsalia, non aliam tamen produxerunt obligationem, quàm expectandi simul, & curandi conditionis purificationem.

Non hic refferentur omnes conditiones honestæ, quæ ab Auctoribus recenseri solent; nam de iis omnibus eadem ratio, ac juris dispositio procedit; solum opportunum videtur, duas hic notare conditiones honestas quidem, sed apponi solitas sponsalibus eo tantum consilio, ut eadem Sponsalia per ipsas reddantur licita, qua sine ipsis viderentur illicita; & inde quærere, an valeant dictæ conditiones appositæ efficere, ut sponsalia de nullis, quæ essent sine ipsis, evadant valida per ipsarum appositionem.

14. Prima sit hæc conditio: si nempe ipsorum contrahentium respectivus Pater consenserit? Hinc dubitant plurimi, an valeant sponsalia inita sine consensu Parentum, & multò magis cum prævio illorum positivo dissensu, sed

sed certum est, jure naturæ valida esse sponsalia inita sine consensu Parentum. Nam contrahentes sponsalia non subsunt Parentibus quoad Matrimonium celebrandum, neque Patria potestas se extendit ad moderandam voluntatem contrahentium circa hanc materiam, ut cautum est Canonico Jure, ita neque subsunt Parentibus contrahentes sponsalia; cum hæc sint via, & preparatio ad Matrimonium; proinde si limitata fuerit Patria potestas, ne se extenderet ad determinandum Matrimonium Filiorum, fuit etiam coercita, ne attingeret eorum sponsalia. Itaque Jure naturæ considerati sunt contrahentes sponsalia veluti a Patria potestate emancipati; propterea sponsaliorum contractus ab ipsis initus, fuit habitus, ut initus ab omnino liberis, propterea validus. Neque dicant sentientes oppositum, quod contrahentes Sponsalia sine consensu Parentum peccent; ergo invalida, quia illicita.

Verum non advertunt, quod non ideo invalida dicuntur sponsalia, quia in se ipsis illicita, sed solum dicuntur invalida, quando obligant ad præstandum quid illicitum, non verò quando in ipsis Contrahendis quid illicitum tunc admittitur, quod tamen non obliget ad præstandum illicitum. Peccant profecto hujusmodi Contrahentes contra Parentum reverentiam, non explorando illorum voluntatem, & assensum, quem ex decentia sciscitari deberent; sed quoniam Parentes non habent jus strictum moderandi ipsorum voluntatem in hac materia, sequitur, quod peccant contra decentiam, non verò se obligant per inita sponsalia ad præstandum illicitum; & si quid juris esset in Parentibus, iis etiam post sponsalia superesset integrum. Nam superest in Parentibus libera potestas solvendi ex consensu filiorum prædicta sponsalia; Ergo si qui contrahunt sponsalia sine consensu Parentum, valide contrahant, validius contrahent cum appositione conditionis obtinendi illorum consensum.

15. Difficultas potius esset in sponsalibus initis sub prævisione positivi dissensus Parentum, & sine appositione conditionis de obtinendo prædicto consensu. Adhuc tamen dicimus, quod prædicta sponsalia, si ducant ad Matrimonium, quod sine peccato celebrari possit, valida erunt, si autem ducant ad Matrimonium, quod sine peccato celebrari nequeat, nulla erunt: Rationem primæ assertionis reddimus; Ideo inquam dicimus, valida esse sponsalia innita cum prævisione positivi dissensus Parentum; quoties ducant ad Matrimonium, quod sine peccato celebrari possit, quia apparet, dissensum Parentum fuisse irrationabilem; & quoniam Parentes in materia Matrimonii, & sponsalium erga filios non alia pollent auctoritate, quam moderativa rationis, seu intellectus, non voluntatis ipsorum; proinde hac non offensa, in nullo supersunt offensi Parentes.

Secundæ assertionis ratio est, quam supra diximus, videlicet Jure Naturæ irritum esse quodcunque vinculum ad illicita cogens. Verum tamen est, quod, ut sponsalia sint nulla ex eo, quod illorum matrimonium celebrari ne-

queat sine peccato; oportet, ut peccatum committendum in prædicta celebratione Matrimonii sit alterius speciei, quam inobedientiæ Parentibus debitæ; quia tunc per solam inobedientiam, etsi filii peccent contrahendo Sponsalia sub prævisione positivi dissensus rationabilis Parentum, atque offendant potestatem Parentum moderativam rationis eorundem contrahentium filiorum, adhuc tamen, quia Parentes possunt irritare prædicta Sponsalia, ut in Mediolanen. Sponsalium 13. Julii 1725. *Tom. 3. Thesau. fol.* 191. = sub hoc dubio = *An Sponsalia de quibus agitur, sint dissoluta, ita ut liceat alteri nubere in casu &c.*

℟. *AFFIRMATIVE.*

Ratio fuit dissensus Patris Sponsi ob nobiliorem Sponsæ conditionem non decentem viliora domestica servitia peragere, ut Sponsi exigebat familia §. *supervenerunt*. Sicque præcludere viam Matrimonio, ad quod ducebant dicta Sponsalia, non est ratio, cur ipsa ab initio decerni debeant invalida, quod a nullo fieri posset, nisi a positivo jure. Hoc verò Jus positivum non præstitit; propterea relicta sunt in statu juris naturæ, sicque valida; & quamvis Matrimonium, ad quod ducerent, esset peccaminosum ob gravem inobedientiam, quia tamen non læsivum Juris tertii, neque quodcumque peccatum involvens, ut supponitur; hinc præcisè ob hoc non redduntur invalida. Hocque resolutum fuit *in Neapolitana sponsalium* 23. *Augusti* 1721. *Tom.* 2. *Thesauri Fol.* 71. §. *Factum fuit: & Card. De Luca De Matrim: Discurs.* 8. *n.* 10. *& sequ.* Tandem definitum est, valere Sponsalia, & esse exequenda: etsi inita contra voluntatem Parentum etiam rationabilem, puta disparis conditionis, vel in nobilitate, vel in divitiis; *In Fulginaten. Matrimonii* 1751. 28. *Augusti Tom.* 15. *Thesauri Fol.* 119. *sub his binis dubiis.*

I. *An constet de Sponsalibus & quatenus affirmative.*

II. *An Nuptiæ sint exequendæ in casu &c.*

AFFIRMATIVE ad utrumque.

16. Secunda conditio est ea, quæ apponitur Sponsalibus initis a duobus, inter quos sit impedimentum Juris positivi vel impediens, vel dirimens futurum Matrimonium, & eo consilio, ut impedimenta tollantur. E. G. Titius Consanguineus Bertæ in tertio Sponsalia init cum eadem, si Papa dispensaverit, qua appositione conditionis contendunt reddi habiles ad contrahenda Sponsalia, ad quæ ipso Jure inhabiles forent; Num verum arbitrentur nunc aperiemus.

Ac statim dicimus per appositionem prædictæ conditionis nullatenus reddi habiles, quia conditio non operatur nisi post ipsius purificationem; At tempore, quo celebrantur Sponsalia, ipsa non est purificata, nam est in futurum. Ergo tempore, quo celebrantur Sponsalia, supersunt Contrahen-

hentes in eo statu, quo essent sine appositione conditionis; ergo inhabiles; ergo prędicta Sponsalia cum hujusmodi conditione celebrata nullâ erunt. Atque ita resolutum fuit a Sacra Congregatione Concili Trid. *in una Januen. 12. Decembris 1753.*, quam supra citavimus, agentes de Sponsalibus prout a Jure positivo moderatis: *sub Dubio: An Sponsalia Jurejurando etiam firmata sub spe, & conditione impetrandi dispensationem super impedimento gradus.*
Responsum fuit ab Eminentissimis Patribus

NEGATIVE, & amplius.

Conformes huic plurimæ habentur in dicto Thesau. *ut Brugnaten. Sponsalium die 26. Januarii 1709. Tom. 9. Tertia partis fol. 60.*

17. De aliis modis superest nunc dicendum, qui apponi possunt Sponsalibus, nempè Causali, & Modali antonomasticè dicto: primus exprimitur per particulam *quia*, vel *quoniam*, secundus per particulam *ut*.

De Causali nihil habetur notatu dignum, quia hic modus respicit Tempus vel præteritum, vel præsens; etenim Causa debet semper præcedere effectum. Ergo si ideo celebrentur Sponsalia ob aliquam Causam, hæc, cum respiciat Sponsalia tanquam effectum, debet eadem præcedere saltem in ordine Causalitatis, proindè hic modus nunquam suspendet Sponsalia, sed statim vel erunt valida, & absoluta, vel nulla, ut si quis dicat: duco te, quia es Nobilis, quia Virgo, nisi & Nobilitas, & Virginitas tunc existant, Sponsalia non erunt valida, quia non erunt effectus illius causæ appositæ.

Denique de secundo modo, qui antonomasticè modus dicitur, & exprimitur per particulam *ut*, quædam adnotabimus; Et primo dicimus modum, si fuerit honestus, & adjectus sponsalibus, parere quidem obligationem in eo, qui modum acceptavit, præstandi id, quod per modum expetivit promittens.

Nam cum semper respiciat aliquid futurum faciendum, parit propterea obligationem prædictam: An verò etiam suspendat Sponsalia, ut res dubia a quibusdam habetur: sed nisi isti velint modum confundere cum conditione, certum est, quod Sponsalia modus non suspendit; etenim propter hoc modus differt a conditione, quod actum non suspendat, licet obliget partem, cui onus imponitur ut modum impleat *Cap. 4. Hoc Tit. Leg. 19. D. 1. de Legatis 3.* & ratio esse potest, quia modus subsequitur Consensui, non ipsum præcedit; neque adiiciens modum alligavit suum consensum modo ipsi, alias modus a conditione non secerneretur; si itaque modus non habeat alligatum sibi Consensum, jam apparet, quod Consensus datur absolutè; propterea absoluta efficit Sponsalia; neque valet modum auferre a consensu rationem absoluti, ex quo consensui ipse modus nectatur, quia præcedit prius esse, ad operari.

Mo-

Modus indicat operationem Sponsaliorum, ergo eadem ille ante se existentia supponit: ergo afficere nequit eorum causam, quæ est Consensus. Ulterius probari potest *ex Leg. Si Tibi* = Modum non suspendere Sponsalia, sed statim illa esse absoluta paritate deducta ex Legato, cui adjectus sit Modus. V. G. Legavit Mille Titius Francisco, ut Domum ędificaret; Decessit Legans, dati sunt Mille Francisco, qui modum non adimplevit, sed & ipse decessit, relinquens spem adimplendi Modi. In iis Mille succedunt Hæredes Francisci, quod contrà esset, si sub conditione legata essent; quæ mille tunc reddenda essent Hæredi Titii Legantis; ex quo evincitur Modum non suspendere translationem Juris illorum Mille, uti præstat, seu suspendit Conditio. Si itaque Modus non suspendat Translationem Juris rei Legatæ in Legatarium, neque suspendere poterit Consensum contrahentium Sponsalia; quod si Consensus per adjectionem Modi non suspendatur, jam superest absolutus; propterea statim validus, & obligatorius, producensque publicam honestatem; Verum tamen est quoad praxim difficilimè secerni posse Modum a Conditione, cum Modus quandoque exprimi possit per particulam Conditionalem, & Conditio per particulam Modalem, ut diligenter advertit Picler *Tit. 5. n. 14. 15. de conditionibus appositis in Desponsatione*.

In dubio autem an sit Conditio, vel Modus, potius præsumendus est Modus, quam Conditio, quia censetur, quod voluntas Contrahentium de præsenti locum habere debeat, quem semper habet per Modum, non autem in futurum rejiciatur, ut evenit per conditionem, qua suspenditur, & solum in futurum sperat efficacitatem, ut appositè notavit eruditus noster Comes Saccus *Instit. Juris Civilis Lib. 2. T. 20. §. Facillimum*.

18. Quid postea sentiendum de modis turpibus, vel impossibilibus, facile ostendi potest; etenim in hypothesi, quod Modi nullatenus confundantur cum Conditionibus, sed veram retineant naturam Modorum, isti nullo modo afficiunt Sponsalia, aut ea suspendunt ob rationem superius dictam, agentes de Modis honestis; Hoc uno discrimine inter hos, & Modos honestos, quod honesti producunt obligationem, ut impleantur, isti verò nullam prorsus, sed habeantur tanquam non adjecti.

19. Addunt aliqui aliam speciem Modi, quem dicunt Demonstrativum: E. G. ducam te, quæ es Nobilis; at quia demonstratio semper respicit tempus præsens, ob hanc rationem Sponsalia non suspendit; quinimo ipsa demonstratio per se neque causat consensum, neque consensui alligatur; Propterea vera, vel falsa sit hæc demonstratio, Sponsalia non afficit, neque ullam parit obligationem, vel effectum; & ratio est satis manifesta, cum demonstratio non aliud sit, nisi quid pertinens ad Cognitionem, propterea afficere quidem possit intellectum Contrahentium, proinde errorem inducere, non verò voluntatem, a qua sola Consensus Sponsalitius dependet.

§. III.

§. III.

Objectum Sponsalium, & signa quibus manifestantur:

HUc usque egimus de promissione sponsalitia, ac qualitatibus ad eam spectantibus, nunc de objecto ipsius dicemus.

1. Objectum autem Sponsalium, ut ex definitione vidimus, sunt futuræ nuptiæ, seu Matrimonium futurum. Neque opus est hic, plura dicere de hoc objecto, cum suo loco exponendum sit. Unum est, quod ostendi debet: videlicet sponsalia non aliud habere objectum, quam Matrimonium ut contrahendum; quidquid ergo extra rationem Matrimonii est, non erit objectum sponsalium. Hoc autem ostendimus ex ipsa natura sponsaliorum, quæ est, ut sit via, & præparatio ad idem Matrimonium. Ergo sicuti via habet pro objecto terminum, ad quem finit, ità cum sponsalia finiant ad Matrimonium, hoc eorundem erit objectum.

2. Ad ultima definitionis sponsalium verba exponenda properemus: Hæcque sunt *signo externo expressæ*.

Signum verò hujusmodi sunt verba contrahentium, quæ esse possunt: v. g. hæc: ex una parte, promitto, tibi futurum Matrimonium: ex alia autem accepto oblatam promissionem, tibique repromitto meum futurum Matrimonium, vel alia verba idem tamen prorsus significantia. Quod si verba defficiant, quia alter ex contrahentibus sit mutus, possunt suplere verbis nutus, qui tamen debent esse adeo univoci in significatione, ut idem prorsus exprimant, quod verba, si essent. Est quidem difficile definire, quinam sint nutus ii, qui valeant exprimere consensum sponsalitium, & solum ab iis possunt percipi, qui mutorum consuetudinem habeant.

Ab Auctoribus plures aliæ formulæ verborum exprimentium sponsalia admittuntur: sed res longa esset, per omnes transire, cum fere omnes sint deductæ, ex idiomatibus peculiaribus regionum; atque hinc quæstiones plurimæ oriuntur; nos autem, ne implicemur in his, missas facimus earum solutionem expectantes ab interpretibus prædictorum Idiomatum. Quinimò advertimus, quod, cum verba non ultrà significent in sponsalibus, quam sit animus promittentis, scrutandus potius est animus illius, qui verba protulit, & ita sensum verborum colligere. Quem interpretandi modum secuta est Sacra Tridentini Congregatio.

3. Si postea verba supersint dubia, pro foro interno ab intentione proferentium determinationem acceperunt; Etenim qui cum verbis dubiis sponsalia inivit, habuitque animum se obligandi, valuerunt sponsalia. Si autem proferens verba dubia, non habuit prædictum animum, nulla fuerunt Sponsalia, ut sunt etiam ex verbis certis inita, sed cum fictione. Quoad forum externum, habet judex remedium juramenti purgatorii

torii deferendi illi, qui verba dubia protulit; Quod si juraverit non habuisse animum se obligandi, liberabitur a sponsalibus. Quo remedio uti non potest Judex contra eum, qui verbis claris, & certis usus est, sed negavit habuisse animum se obligandi. Nam hunc debet cogere ad standum sponsalibus initis, nisi ille probasset justam habuisse causam suæ fictionis; quod si perfecte eam non probasset, tunc posset illum admittere ad prædictum juramentum purgatorium, ut docent plurimi Reinfestuel *Lib.* 4. *Tit.* 1. §. 2. *n.* 46.

Non videtur prætereunda una, vel altera ex formulis non dicam ambiguis, sed neque similitudinem ullam habentibus cum formulis sponsaliorum, quæ a quibusdam Auctoribus recensentur.

Quarum prima est: *non aliam ducam, nisi te, vel quam te*. Hæc inquam formula non inducit sponsalia absoluta, & si quæ inducet, erunt tantummodo conditionata, contra Abbatem Antonium de Butr: & Menoch. Nam est propositio negativa potius excludens promissionem Matrimonii, quàm includens; & quamvis illa negativa limitetur per particulam exceptivam *nisi*; hæc tamen limitatio non est absoluta, sed resolvitur in conditionem, & facit hunc sensum: *non ducam uxorem; Si tamen aliquam duxero, ducam te. Ut ex Leg.* 40. §. 2. *D. de condit.*, & *demonst.* Fusius hoc exponit Pichler de Sponsalibus *Lib.* 4. *Tit.* 1. *n.* 19., qui sibi etiam ita opponit. Allata propositio similis est Propositioni Judeorum clamantium: *non habemus regem nisi Cæsarem*, quæ in hanc resolvitur, *Cæsar est noster Rex*, & non alius. Sed hæc est affirmativa, & absoluta; ergo etiam illa: *non ducam aliam nisi te*, erit affirmativa, & absoluta, proinde inducet sponsalia absoluta, cum & ipsa habeat hunc sensum, *te ducam, & non aliam*.

Huic objectioni prædictus Pichler respondet negando majorem, & paritatem. Nam disparitas in eo est, quod dictio illa *nisi* in Propositione *non ducam aliam, nisi te*, respicit tempus futurum, propterea in puram conditionem resolvitur de futuro, cujus purificatio pendet ab arbitrio opponentis, & resolvitur in hanc Propositionem: *Si uxorem duxero, ducam te*. Illud autem *nisi* in Propositione Judeorum respicit tempus præsens, propterea resolvitur in hanc Propositionem: Cæsar est noster Rex, & non alius, quæ & affirmativa est, & absoluta, quemadmodum etiam sunt: *Non duco aliam, nisi te*, vel alia similis, quæ faciunt hunc sensum, *te duco, non aliam*. Hic loquendi modus ad Matrimonium valide contrahendum de presenti sufficeret, quia illud *nisi* respicit tempus præsens, propterea in affirmativam, & absolutam Propositionem resolvitur, ex quo nihil reiciat in futurum purificandum: Verum circa hanc formulam, *non ducam aliam* nisi *Te*, vel *quam Te*; sit nec ne apta Sponsaliorum formula? Doctorum maximè recentium opiniones, ut moris est, sibi ipsis invicem contrariæ sublatæ sunt per Definitionem Sacræ

Con-

Congregationis Concilii. *In Ventimillien. Sponsalium in qua de hac syngrapha an contineret Sponsalia quæsitum fuit: quæ ita concepta erat:*

11. Novembre 1697.

Io infrascritto dico, e prometto di non sposar altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette Lei, e giura. Antonio Levame, Benedetta Gena.

Ad primum Dubium his verbis expressum:

An constet de validitate Sponsalium inter Antonium Levame, & Benedictam Genam?

Sacra Congregatio die 1. Junii 1709. respondit

Ex hactenus deductis non constare de Sponsalibus absolutis. Tom. 9. Tertiæ partis Fol. 61. Thesau.

Et reproposita causa sub consueto Dubio,

An sit standum, vel recedendum in Casu &c.

Die 28. Septembris ejusdem anni 1709.

Dictum Rescriptum meruit confirmari, fuitque additum = Antonium posse cum alia muliere Matrimonium contrahere. Fol. 73. Tom. 8.

Alia formula sit hæc: *Promitto tibi, quod te non amplius deseram, non amplius te dimittam, Fidelis tibi manebo.* Hujusmodi Formulæ, etsi a Pichler supra relato ut sponsalitiæ admittantur, quando illis præcesserit Tractatus de Matrimonio; nobis tamen non videntur sufficientes ad significandam promissionem requisitam in sponsalibus. Etenim in hypothesi, quod illis præcesserit Tractatus de Matrimonio ineundo, jam satis constat per illum præcedentem Tractatum satis fuisse determinatas ad significandam Promissionem sponsalitiam, quam ex se non significarent. Propterea in tali hypothesi considerantur ut complementum illius Tractatus præcedentis, a quo tunc determinantur ad significandam Promissionem sponsalitiam. Verum si nudè spectentur, non important Sponsalia, ut de se patet. Nam dictiones illæ verificari possunt absque, eo quod unquam obligent ad ineundum Matrimonium, cum regula generalis sit, quod illæ non sint aptæ Formulæ Sponsaliorum, si in sui verificatione non inducant obligationem procedendi ad Matrimonium celebrandum.


Quod autem recensitæ formulæ in sui verificatione obligationem procedendi ad contrahendum Matrimonium non inducant, ex illarum inspectione apparet. Nam illa E. G. *promitto tibi, quod amplius non te deseram.* cum possit verificari, si illam non deserat dilectione, protectione, ut faciunt invicem Amici, jam verificatur absque eo, quod inducat obligationem illam ducendi. Idem dicas de aliis E. G. *non amplius dimittam te, fidelis tibi manebo.* Itaque si eæ formulæ verificari possint absque eo, quod obligationem inducant procedendi ad Matrimonium, jam istæ nude, ac simpliciter spectatæ, non erunt validæ formulæ pro ineundis sponsalibus validis, sive absoluta sint, sive conditionata. Sed de his satis

4. Et

4. Et hæc sint, quæ pertinebant ad signum externum, quo Sponsalia manifestantur, quibus totam absolvimus expositionem definitionis Sponsalium; pro cujus complemento superest, ut hic referamus opinionem quorumdam Doctorum arbitrantium Sponsalia contracta a Parentibus in præsentia Filiorum pro ipsismet Filiis tacentibus valida esse; quid nobis in hac Quæstione videatur, sincerè manifestamus, præmittendo certum esse, quod Sponsalia non valent, si unus offerat promissionem, & alter taceat, quia tacens non censetur consentire, quando agitur de obligatione contrahenda, & de onere sibi imponendo.

Quod autem attinet ad solutionem Quæstionis, etsi videatur communis Theologorum, ac Juristarum opinio, quod valeant prædicta Sponsalia, nobis valida non apparent, nisi signo aliquo exteriori Filii manifestaverint approbationem gestorum a Parentibus; nam taciturnitas Filiorum coram Parentibus non satis manifestat ipsorum Filiorum Consensum, sicuti admittunt prędicti citati Auctores, cum ulterius requirant ut eorum animus exploretur, antequam cogantur procedere ad Matrimonium contrahendum: an scilicet tunc verè consenserint, ex quo licet inferre prædictam taciturnitatem non esse sufficiens, & certum signum interioris consensus; Ergo Sponsalia prædicta non essent per ipsos signo externo manifestata; Ergo deficerent in ratione promissionis, quæ nunquam valida, nisi externe, & univoce manifestata; etenim cum in ratione promissionis pendeat ab acceptatione promissarii, hæc haberi nequit, nisi promissario ipsi manifestata sit promissio.

Confirmatur ex *Can. Unic. Caus.* 30. *Quæst.* 2. *& Can. Un. Caus.* 27. *Quæst.* 2. ubi in Sponsalibus requiritur omnino verus consensus, & proprius; Si itaque proprius per solam taciturnitatem non exprimatur, jam taciturnitas Filiorum coram Parentibus Sponsalia strictè sumpta non pariet.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE PERSONIS CONTRAHENTIBUS SPONSALIA.

POst Definitionis Sponsaliorum expositionem superest, ut de Personis agamus, quibus a Jure concessum est Sponsalia inire, & de ipsorum solemnitatibus, ac circumstantiis. Tandem de effectibus, qui sequuntur a Juris dispositione.

§. I.

Quæ personæ sint habiles ad ineunda sponsalia, quarumque circumstantiæ attendendæ, ac solemnitates servandæ.

1. SI Jus naturale intueamur, hoc facultatem concedit, ineundi Sponsalia cuilibet Mari, & Fœminæ usum rationis habenti, & nulli, per vinculum Matrimoniale ligato, vel per quodvis Juris ejusdem impedimentum detento; Etenim cui ex Jure naturali datur Jus contrahendi Matrimonium, eidem etiam ex eodem jure conceditur Sponsalia celebrare: uno tamen excepto casu, quo Sponsalia ducerent ad illicitum Matrimonium; quia pactiones omnes de Jure naturæ nullam producere possunt obligationem præstandi illicita, quia tunc nullæ essent; proinde si darentur Sponsalia, quæ ducerent ad Matrimonium illicitum, seu peccaminosum, nulla forent. Diximus Mari, & Fœminæ, quia Matrimonium non potest consistere, nisi inter Marem, & Fœminam, & quidem tales, qui natura ipsa sint habiles ad Matrimonium, vel saltem sit spes in ipso naturæ Jure fundata, quod fiant habiles. Quapropter opus non est, ut quo tempore Sponsalia contrahunt, eodem quoque tempore habiles sint ad Matrimonium ipsum contrahendum, de quibus infrà. Mari inquam, & Fœminæ determinatis, & in individuo acceptis, scilicet, ut Mas, & Fœmina ita sint designati, & unus tantum, & talis, & una tantum, & talis invicem contrahant; Nam sicuti Matrimonium, nisi inter designatas Personas singulares, videlicet inter unum talem, & unam talem consistere potest, ità & Sponsalia, utpotè via ad Matrimonium. Qui proinde diceret *promitto accipere in uxorem Titiam, vel Sejam*, etsi ab utrisque Puellis promissio hujusmodi acceptaretur, & singulæ repromitterent, Sponsalia tamen non orirentur, eo quia nec Mátrimonium haberetur, si quis diceret *duco vel Titiam, vel Sejam*, adhuc enim superesset determinanda, quam ex iis in uxorem duceret: sicque non existeret Mátrimonium unius determinati, cum una determinata, ut postulatur a Jure naturæ.

Qui Sponsalia inire volunt, ii usum rationis habere debent, quia cum natu-

natura humana sit rationalis, ipsa postulat, ut juxta Leges rationis propagetur. Quapropter si Matrimonium nullum esset defectu usus rationis, a fortiori nulla essent Sponsalia, quæ sunt promissio futuri Matrimonii, & cum promissio sit actus liber voluntatis, sine rationis usu esse non potest.

2. Tandem requiritur Jure naturæ, ut promittentes non sint alteri ligati Matrimoniali vinculo. Etenim, quod alteri jam datum est, nulli promitti potest, & si promittatur, promissio nulla superest. Quia ad illicitum, atque invalidum duceret. Neque opponat quis saltem virum posse cum pluribus mulieribus connubia inire de Jure naturæ, ut exemplis Patriarcharum veteris Legis demonstratur. Ergo saltem ex parte viri Jure naturæ valida erunt illius Sponsalia cum pluribus fœminis simul celebrata. Neque inquam hæc opponat; Nam Jus naturale, quod in æquitate locatum est, non concessit Matrimonium nisi unius cum una, ex eo quod Matrimonium ipsum sit, quoad ejus effectum, vinculum quoddam individuam vitæ consuetudinem inter conjuges pariens; Si itaque individuam consuetudinem pariat ex parte Mulieris, quæ amplius alteri nubere nequeat, jam totam semetipsam, & vitam ipsam Marito tradidit. Ergo æquitas postulat, ut idem sit de viro, alias lederetur ipsa mulier, quæ minus acciperet quam dedisset. Etsi prò circumstantiis temporum fuerit a Deo cum Patriarchis dispensatum supra hoc naturali Jure, id factum fuit ob fines præstantiores, quam sit ipsa natura; etenim isti fuerunt ad propinandum adventum Reparatoris ipsiusmet naturæ, qui adventus summopere naturam ipsam perfecit, ac supra semetipsam elevavit. Quibus finibus cessatis sub pristino Juris naturæ præcepto restitutum est Matrimonium; eodem Christo Domino reparatore dicente: *Relinquet Homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Non autem dixit: *Uxoribus suis.* Deinde subdidit: *Et erunt duo in carne una.* Non dixit: erunt plures in carne una, sed duo tantum; Ergo Vir unus tantum, & una Mulier. Deinde Scribis respondens interrogantibus de Libello repudii inquit. *Ob duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudii, ab initio autem non fuit sic.* Et en naturale Præceptum de Matrimonio unius tantum cum una; & addidit, *qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mæchatur;* & quare mæchatur? non quia primam dimisit: hoc enim licet ex causa nostris quoque temporibus, sed quia aliam duxerit, quia primæ ligatus vinculo indissolubili tentavit alteri se conjungere contra superius dictam naturalem æquitatem.

3. Diximus contrahentes Sponsalia vinculo Matrimoniali, alteri non posse esse devinctos, nunc dicemus, quod nec possunt esse ligati alteri per præcedentia Sponsalia, quæcunque hæc sint, vel absoluta, vel conditionata, dummodo valida. Hocque ipsum procedit a Jure naturæ; quia promissio quælibet de re vel danda, vel facienda, nisi licitè compleri possit, ipsa Jure naturæ est invalida, quia jus naturæ non potest obliga-

re

re ad id, quod habet oppositionem ad ipsam naturam, cum jus naturæ a quolibet illicito ita abhorreat, ut quamcunque illius pactionem velit nullam; Si itaque subsequentia Sponsalia valerent, obligarent ad illicitum, nempe ad violandam fidem datam in præcedentibus Sponsalibus.

4. A Jure naturæ discedentes ad Jus scriptum civile transcendimus inquirentes quid de Sponsalibus disposuerit.

Nulli dubium est plurima disposuisse, cum leges sint latæ de Sponsalibus, atque peculiaris titulus de iis habeatur. *Et L. 12. Cod. de Donationibus ante Nuptias*.

Verum quia omnes Leges civiles respicientes Sponsalia non aliam vim obtinent, nisi quam nancifcuntur a Jure Canonico partim eas approbante, & partim revocante, non hic propterea immorabimur in iis exponendis, sed statim Canonicas Sanctiones evolvemus de Sponsalibus æditas.

5. Et quia Canonicæ Leges non procedunt de iis, qui sunt extrà Ecclesiam, idest de iis, qui nunquam Baptisma susceperunt, neque quidquam disponunt de Sponsalibus inter Infideles initis, quæ solum subjecta sunt moderationi Juris Naturalis, & Juris Civilis, vel saltem municipalis suorum Principum Paganorum: cum sint Contractus, de quibus Princeps Politicus disponere valeat in bonum regiminis suæ Ditionis; ab ipsis propterea nullus exurget effectus Juris Canonici, nempe publicæ honestatis. Atque hinc quæri potest, si aliquis Baptizatus proinde subditus Canonicis Legibus Sponsalia contrahat cum Infideli, an inquam hæc valeant? Et respondetur ex Lege Apostoli, non valere; Prohibuit enim nuptias inter Fidelem, atque Infidelem, inquiens: *nolite Jugum ducere cum Infideli*; Itaque si ex Apostolo prohibitum sit Matrimonium cum Infideli, jam ejusdem Promissio est illicita, ergo Sponsalia invalida &c.

6. Hac occasione quæri potest an valeant Sponsalia inter Fidelem, & Hæreticam, vel contra.

In hujus autem solutione non omnes conveniunt.

Nam quidam decernunt illicita omnino esse, propterea invalida; alii illicita tantum, sed valida; Tandem alii licita, ac valida.

Qui dicunt ea esse illicita, ac invalida, sunt Sanchez, Azorius, Gobat, quorum ratio est, quia Hæresis est impedimentum sin dirimens Matrimonium, saltem impediens, idque ob periculum proximum perversionis, vel propriæ, vel Prolium, quod subit pars Catholica: ergo illicitum Matrimonium per ipsos, ergo Sponsalia nulla, utpotè ducentia ad illicitum Matrimonium. Hoc confirmant *Cap. 2. de Divor.*, *& Cap. Fin. de Converſ. Conjug.* quibus Legibus ostendunt justam esse Causam resiliendi a Sponsalibus, si ex Contrahentibus unus in hæresim labatur, quia quidquid dat justam Causam resiliendi a Sponsalibus, si ex crimine veniat

C

niat simulque ad crimen perducat, invalida reddit Sponsalia; Ergo erunt invalida Sponsalia si a Fideli cum Hæretico contrahantur.

Qui dicunt esse illicita, sed valida, hanc reddunt rationem; Certum est validum esse Matrimonium inter Fidelem, & Hæreticum, & subinde spem esse, ut etiam sit licitum, si prævideatur facilis conversio Hæretici; propterea illicitè quidem se gerere eum, qui primo se ingerit tractando cum Hæretico, at tamen si fidem Hæretico dederit, servandam esse. Quapropter dum quis init Sponsalia cum Hæretico, peccat quidem, at tamen, quia servari potest eorum obligatio sine peccato, valida erunt.

Tandem qui dicunt valida, ac licita esse, ii supponunt nullum esse periculum subversionis in Fideli, seu Catholico, proinde etiam & licitum admittunt Matrimonium cum Hæretico celebratum, quod confirmant ex taciturnitate, ac permissivo consensu Episcoporum non impedientium, nec reclamantium contra prædicta Matrimonia.

Ex dictis quid nobis videatur æquius, est, Sponsalia prædicta invalida esse, vel si valida, solum in ratione conditionatorum, non verò absolutorum; Idque nedum ob rationem a Sanchez relatam, nempe ob periculum perversionis, vel Contrahentis, vel Prolis futuræ, sed etiam hoc remoto periculo ob illicitum Matrimonium ex positivo Jure decretum; nam est lata Excommunicatio major contra eos, qui cum Hæreticis in Sacramentis participant; sed Fidelis contrahens Matrimonium cum Hæretico participat cum ipso in Sacramentis, ut patet, scilicet in eodem Sacramento Matrimonii; ergo Matrimonium cum Hæretico celebratum est illicitum; ergo Sponsalia ducentia ad idem Matrimonium sunt invalida, quamvis nullum exinde periculum subversionis emergat.

Negavimus valida esse hujusmodi Sponsalia, si fuerint absoluta, si tamen fuerint conditionata, & conditio fuerit, quod pars hæretica, vel etiam si vis infidelis Hęresim deponat, vel Fidem amplectatur, tunc valida erunt, solum quidem conditionata: cum esse non possit honestior conditio, quàm hæc, nempe ut ad Cętum Catholicum revertatur, qui recessit, & Fidem suscipiat ille, qui est Infidelis.

Neque quidquam obest validitati prædictorum Sponsalium, quod ex Contrahentibus unus sit extra Ecclesiam, quia ipsa non sunt Sacramentum, sed merus Contractus Civilis, qui consistere potest inter omnes a Jure naturæ non prohibitos; & quamvis Leges Ecclesiasticæ de ipsis plurimæ sint, tamen nulla earum decernit invalida hujusmodi Sponsalia sub prædicta conditione inita. Itaque si relicta sint sub mero & Naturæ, & Civili Jure quoad effectum obligandi, sicuti valerent, atque obligarent ambos contrahentes, vel si essent Hæretici, vel Infideles, jam patet per appositam conditionem, cujus purificatio duceret ad licitum Matrimonium, valere, & obligare etiam Catholicum, ac Fidelem contrahentem, vel cum Hæretico, vel cum Infideli.

7. Sed

7. Sed de his, qui sunt extra Ecclesiam, satis diximus. Nunc de Fidelibus utrisque contrahentibus; & primo de ætate, quam habere debent ex Lege Canonica, ut validè contrahant Sponsalia. *Ex Cap. Ubi de Desponsatione Impuberum.*

Nicolaus Papa districtius inhibuit, ne aliqui conjungantur ante ætatem Legibus, vel Canonibus determinatam; atque ita adoptavit dispositionem Juris Civilis statuentem ætatem septem annorum requisitam in contrahentibus Sponsalia *Leg. in Sponsalibus de Sponsalibus.* Quam ætatem ulterius præscriptam conspicimus in Jure Canonico, *ut Can. Litteras, Can. Accessit &c.* Cum itaque certum sit, septennium esse statutum a Canonibus pro legitima ætate ineundi Sponsalia, quæritur an contracta ante septennium sint valida, & sit peccatum mortale præcise ob latæ Legis transgressionem Sponsalia contrahere ante septennium, in Hypothesi, quod essent valida.

Respondemus primæ Petitioni, quod Jus Canonicum statuendo septennium pro legitima ætate Sponsaliorum, id fecit potius, ut indicaret quo tempore usum rationis adipiscuntur Infantes, & fiunt doli capaces, non verò ità exegit tale septennium sub conditione irritante, & quasi Jus ipsum naturæ corrigente. Nam Jus naturæ non attendit ad numerum annorum, sed ad usum rationis. Quapropter si infra septennium habeat puer usum rationis, jus naturæ pro validis habet Sponsalia ipsius; Ergo si jus Canonicum non correxerit jus naturæ, ut patet non correxisse; nam prohibuit quidem Sponsalia ante septennium, sed illa non decrevit invalida, ut facere debuisset, quoties juri naturæ derogare, aut melius dicam, interpretari illud voluisset, jam & jus Canonicum pro validis habet Sponsalia infra septennium inita, dumodo constet de usu rationis in contrahentibus. *Ut ex cap. Juvenis, qui Puellam nondum septennem duxit; De Sponsalibus. Eugen. Papa.*

Secundæ autem petitioni respondemus, graviter peccare tum contrahentes ante septennium, tum inducentes ad contrahendum, quia Lex lata de septennio est gravis, & de re gravi; Ergo sub gravi obligat. Quod ulterius ab ipsa Lege manifestatur; etenim in hypothesi, quod velint minores septennio Sponsalia inire, præcipit, ut licentiam petant a proprio Episcopo, cui facultas datur dispensandi supra prædicto præcepto de septennio. *Can. Quisquis præcepti: Enriquez Lib. 11. de Matrimonio Cap. 13. n. 13. & Petr. de Ledesma de Matrim. Quæst. 43. Art. 2. dub. 3.* Ratio autem, quare ad Episcopum reservata sit dispensatio prædicta, est, ut ipse scrutetur, an contrahentes usum rationis habeant, sicque Ecclesia certioretur de idoneitate contrahentium. Cui valde id interesse debet, tum ad dirimendas Lites, si oriantur, tum ob impedimentum publicæ honestatis quod Sponsalibus validis absolutis adnexuit. Ergo ex his causis apparet præceptum de septennio grave esse. Ergo peccatum mortale erit illud violare.

8. Ve-

8. Verum cum de ætate requisita ad validitatem Sponsalium agamus, quę a septennio completo incipit, in quo præsumitur usus rationis, quæri solet hic, sicuti valent Sponsalia, etiam Matrimonium valeat post hujusmodi septennium celebratum, infrà tamen pubertatem contrahentium, vel si in ratione Matrimonii non valeat, illud ipsum transeat in Sponsalia de futuro.

Ut propositis Quæstionibus respondeamus præmittere oportet, Matrimonium esse quidem evectum ad rationem Sacramenti, sed simul retinere veram naturam atque affectiones contractus. At natura, atque affectiones contractus sunt, ut Merx, ad quem usum emitur, sit apta eo tempore, quo ipsa, vel ejus usus venditur, seu alteri quocunque modo traditur, alias nihil venderetur, aut traderetur; & profectò res clara est in Matrimonio. Nam in eo non venditur, aut traditur corpus, sed solum jus utendi corpore, qui usus inutiliter cessus videtur, propterea nulliter, si corpus ipsum incapax sit hujusmodi usus. Itaque cum Matrimonium impuberum importaret cessionem Juris utendi corpore incapaci ad usum cessum, jam appareret in ratione contractus subsistere non posse; quod si in ratione contractus non subsistat, neque subsistere poterit in ratione Sacramenti, ex quo Matrimonium, ut legitimus contractus ad rationem Sacramenti fuit elevatum. Ad hanc intrinsecam rationem accesserunt plures Canones decernentes invalida Matrimonia impuberum, qui habentur in Decretalibus Gregorii IX. Inter quos est Can. *Attestationes sup. causa Urbani III. Episcopo Cenomanensi de Desponsatione Impuberum*.

9. Habent tamen hoc peculiare hujusmodi Matrimonia impuberum, quod ab Ecclesia recipiantur, tanquam Sponsalia de futuro valida, & legitima, & absoluta. Contrà verò est de Matrimoniis nullis celebratis inter Puberes, quæ nunquam in Sponsalia de futuro resolvi permittit Ecclesia. Quare autem Matrimonia impuberum Ecclesia velit transire in Sponsalia, est, quia ex solo temporis lapsu corpora de incapacibus capacia fiunt ad usum, qui ceditur in Matrimonio; propterea etsi contrahentes quousque sunt impuberes, sint etiam inhabiles ad contrahendum Matrimonium, quia tamen solus temporis lapsus sufficit ad eos habiles reddendos, (nam suapte natura tempus fluit, & impediri non potest, quin fluat), jam eo ipso momento, quo contrahunt impuberes, eo ipso remotè capaces sunt, & spes est etiam, ut proximè capaces fiant solo temporis fluxu, non autem mero hominis arbitrio. Proinde hanc remotam capacitatem contemplata est Ecclesia, ob quam voluit, quod illud Matrimonium, quod de præsenti nullum est, haberetur saltem, ut Sponsalia, seu promissio ejusdem; sicuti evenit, quando quis vendit fructus, quos recollectos arbitratur, & revera nondum sunt collecti; ut ejus venditio resolvatur in promissionem eosdem vendendi tempore, quo recollecti

erunt,

erunt, & ita verificaretur illud Juris Axioma, *quod utile vitiari non debeat per inutile, & quod non potest subsistere in ratione completa, subsistat saltem in ratione dispositiva, atque incohativa*; præsertim cum spes sit quod defectus tunc existens solo temporis lapsu evanescat, atque contrahentes evadant habiles.

10. Sunt quoque Canones in Decretalibus Gregorii IX. decernentes Matrimonia impuberum transire in Sponsalia de Futuro: *Cap. Tuæ nobis exhibitæ Litteræ Innocentii III. Episcopo Abbatensi de Desponsatione impuberum.*

Verum ex opposito decreverunt Eminent. Sac. Congreg. Concil. Trid. Patres Matrimonia puberum, si nulla fuerint ob impedimentum juris positivi (nam de impedimentis juris naturæ nulla quæstio, quoties hæc perpetua sint, quia nec Matrimonia impuberum, sub his impedimentis resolvi possunt in Sponsalia de futuro) non transire in Sponsalia de futuro; hancque ob rationem, quia tunc contrahentes, etsi physicè habiles sint, tamen redditi sunt inhabiles ex Juris dispositione, quæ tota in arbitrio Summi Principis locata est; neque ullam spem relinquit, ut habiles fiant contrahentes, nisi per voluntatis Principis mutationem derogantem Legi ipsi, quæ derogatio cum sit quid odiosum, nunquam præsumi potest; Ergo nulla spes superest, ut habiles fiant contrahentes. Ergo nulla ratio cur eorum Matrimonium nullum in Sponsalia de futuro transeat. Propterea habetur, *& Concil. Trid. sess. 24. cap. 5.* & *Resolutio Sacræ Congregationis ejusdem Concilii* declarans nedum esse invalida hujusmodi Matrimonia, & non resolvi in Sponsalia de futuro, sed & ipsa Sponsalia contracta inter eos, qui habent Canonicum impedimentum sub conditione si Papa dispensaverit, esse invalida, Jannen. 12. Decembris 1733. *Tom. 6. Ressolut. S. Cong. Trid. Fol. 176.* idque contra plures Doctores, & præsertim Picler, docentem similia Sponsalia valida esse.

11. Occasione indicatæ ætatis requisitæ ad Sponsalia ineunda, quæ est, ut supra notavimus, septennium, advertimus, quod Sponsalia in prædicta ætate celebrata & valida sunt, & publicæ pariunt justitiam honestatis, dummodo absoluta sint, ususque rationis pateat in contrahentibus.

Definitum hoc habetur in sexto Decretalium *Lib. 4. Cap. Un: Si infantes: & §. Idem quoque dicti Cap. de Desponsat. Impub. Tit. 2.* Esset hoc loco movenda Quæstio de Sponsalibus initis a Parentibus impuberum pro ipsismet impuberibus tacentibus, sed hanc Quæstionem supra solvimus, dum egimus de consensu requisito, atque externe manifestato, seu manifestando in Sponsalibus.

Quod hic addi potest, est Legis dispositio ex supra citato Cap. Un. *Si Infantes* §. *Porro*, quæ ita se habet. *Porrò ex Sponsalibus, quæ Parentes pro Filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi Filii si expresse consenserint, vel tacite, ut si presentes fuerint, nec contradixerint, obligantur: & ex eis oritur Justitia publicæ honestatis, & est idem, si Filii tempo-*

re Sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem Sponsalia, post scientes ratificaverunt tacitè, vel expresse: alias ex Sponsalibus contractis a Parentibus pro Filiis, nec ipsi Filii obligantur, nec publicæ honestatis Justitia inde surgit.

Ex allata decretali, si ejus tantummodo corticem spectemus, falsa decernitur sententia a nobis superius tradita, quod scilicet non valeant Sponsalia a Parentibus pro Filiis presentibus, & merè tacentibus celebrata, vel saltem ut valida decerni non posse, si sola intercesserit taciturnitas Filiorum, excluso quocunque alio exteriori signo interioris eorum consensus manifestativo.

Verum si hæc decretalis cum aliis conferatur, & cum ipsa ratione, jam facile exponetur, ac conciliabitur cum aliis Juris Principiis, & simul sententia nostra firmabitur. Omissis variis ejusdem decretalis interpretationibus in Glossa congestis, advertimus tacitum consensum eum esse, qui non verbis, sed facto aliquo univoce significante exprimitur, ut omnes docent Juristæ, & pluribus tum Canonum, tum Juris Civilis Capitulis roboratur. Inde notamus Pontificem requirere in Sponsalibus contractis à Parentibus pro Filiis, quod Filii expresse, vel tacite consenserint; qua propter ostendit nulla esse Sponsalia a Parentibus inita, si deficiat consensus vel expressus, vel tacitus Filiorum. Si itaque saltem tacitus consensus Filiorum requiratur, consensus facto aliquo univoce significante manifestatus requiritur. Pura autem taciturnitas non præsefert hujusmodi factum; Ergo pura taciturnitas non fuit a Pontifice habita, ut sufficiens ad manifestandum consensum Filiorum. Neque quidquam obest, quod addit Pontifex tanquam expositivum, ac manifestativum taciti consensus scilicet: *ut si præsentes fuerint non contradixerint*: etenim cum supponat factum aliquod præcessisse, illud ipsum Pontifex interpretatur, vultque, ut hujusmodi sit significativum consensus, quod non contradicat, idest non opponatur sensui verborum Parentum Sponsalia contrahentium.

Sed factum quod non opponatur verbis Parentum, quia quid positivum, non potest esse, nisi aliquid univoce significans consensum ejusdemmet Filii in Sponsalia. Ergo ex quo Pontifex requirat tacitum consensum Filiorum in Sponsalibus initis a Parentibus, jam manifestat illam non contradictionem consistere in facto positivo univoce manifestante consensum tacitum.

Quod cum ita sit, apparet solam, & meram taciturnitatem Filiorum non sufficere ad exprimendum consensum in Sponsalibus initis a Parentibus, neque hanc contemplatum esse Pontificem, dum inquit: *Si præsentes fuerint nec contradixerint*; Sed inspexisse consensum tacitum manifestandum per factum, quod non contradiceret gestis Parentum: idque manifestius ostenditur ex subsequentibus ejusdem Decretalis: §. *Et est idem*: nam ibi

ibi inquit Pontifex: *Si Filii tempore Sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem Sponsalia post scientes ratificaverunt tacitè, vel expressè, eadem inquam Sponsalia valere, & ex iis oriri publicæ Justitiam honestatis.* Ex hac ergo decretali constat, quod Sponsalia inita a Parentibus pro Filiis absentibus, atque ignorantibus valent solummodo, quando Filii sciverint, & tacitè, vel expresse ratificaverint eadem. Itaque sola tacita ratificatio sufficit pro validitate prędictorum Sponsalium, ut ex alata Decretali: sed tacita ratificatio, est idem ex prædicto Pontifice ac tacitus consensus; Ergo quidquid dicitur de tacita ratificatione, dici debet de tacito consensu; in nullo enim discriminantur hæc duo, nisi in tempore. Nam consensus tacitus inter presentes, & tempore gesti, cujus est consensus, ponitur, ratificatio autem supponit absentem gesto, & postea ratificantem; hinc illi gesto subsequitur.

Cum ergo unum, & idem sint tacite consentire, & tacite ratificare: manifestabimus quid importet tacita ratificatio. Ratificare enim seu ratum aliquid habere non aliud est, quam vel verbis, vel facto manifestare approbationem, seu placitum internum de re ipsa, quæ approbatur. Quam rem si volumus esse a nobis quasi productam, ita illam approbamus, ac quasi in nostrum dominium vocamus, ut alteri ostendamus dicto, vel facto rem ab alio gestam, & nos gessisse, si optio, ac libertas dedisset. Si itaque ratificatio consistat in assumptione gesti alterius in suum, hoc manifestari nequit, nisi per verba, vel factum aliquod adeo univoce significans hanc assumptionem, ut nullum superesse possit dubium de ipsa ratificatione interna; quæ ratificatio ita est exterius manifestanda, sicut consensus quorumlibet contractuum; ipsa enim ejusdem vices gerit. Quomodo ergo manifestatio consensuum in contractibus est essentialis, & manifestatio est actus positivus, aut verborum, aut facti consensum significantis: Ita tacitus consensus, seu tacita ratificatio in nullo alio consistere potest, quam in facto positivo significante consensum. Et revera nomen ipsum ratificationis, id significat; nam importat actionem determinatam, quæ in solo silentio consistere nequit, seu in mera abstinentia cujuslibet facti.

Quale autem esse debeat factum, quo ostendant Filii, se non contradicere Parentibus, vel ratificare Sponsalia inita a Parentibus, inquit Glossa, *præter taciturnitatem intellige quod aliud factum concurrat, scilicet copula, aut aliud simile: Johan. de Ancharan adde notata &c. Bernard. in Leg. Quo enim D. V.* Et revera aliter exponi nequit prædicta Decretalis, nisi velimus eam contradicere legi primæ §. 3. *D. de pactis, & Cap. 23. de Sponsalibus:* in quo habetur, quod mutus, & surdus possint contrahere Matrimonium, licet loqui non valeant, quia inquit: *cum Surdus, & Mutus, quod verbis non potest, signis valeat declarare.*

Non autem dixit per meram taciturnitatem. Ergo mera taciturnitas non sufficit ad manifestandum consensum. C 4 His

His ita expositis apparet nostram sententiam non adversari Decretali expositæ, quin imò per ipsam Decretalem roborari.

12. Vidimus Parentes posse celebrare Sponsalia pro Filiis, modo tamen supra indicato; ex iisque Sponsalibus oriri publicam honestatem. Tunc procedentes, agemus de impuberibus, dum ad pubertatem pervenerint, quærentes, an ex vi præcedentium Sponsaliorum cogi possint ad Matrimonium ineundum.

Non posse cogi, sed liberos esse resiliendi a Sponsalibus, definitum est a Jure Canonico *Cap. 7. & 8. hoc Tit.* Cujus facultatis datæ ratio fuit, ne ipsi contrahentes in impubertate, facti puberes, cogerentur approbare, quod non satis firma ætate fecerunt; Propterea ante adeptam Pubertatem præstare id nequeunt, ne nimium inconstantes, ut fert illa ætas, una die resiliant, alia vero iterum conveniant. Verum tamen est, quod si unus ex impuberibus Pubertatem citius altero consequatur, hic non expectata pubertate alterius statim resilire potest *Cap. 7. citat. ut supra. V. Si vero.*

Quod si ambo simul pervenerint ad Pubertatem, ambo a Sponsalibus resilire possunt; quando autem hoc facere debeant, Doctores fere omnes docent, quod incontinenti, seu illico post adeptam Pubertatem resilire debeant. Illudque *incontinens, seu illico* ad solum triduum proximum extendunt, intra quod, si quid fiat, illud fieri illicò dicitur. *Leg. Fin. Cod. de Judic.* Verum hoc nimis rigidum apparet, & naturali æquitati repugnans. Etenim Pubertas non adeò advenit stipata militibus, aut cum strepitu, quo dies, & hora, atque momentum pateat ejus adventus, sed paulatim accedit, nec se prodit ab ingressu, verum & ad dies, & ad Menses latitat, & fortasse ad Annum. Quapropter si statim ab adepta pubertate, ut ultra triduum differre non possent, de hoc Privilegio resiliendi actum esset; Nam impossibile esset diem adventus Pubertatis figere, sicque etiam impossibile scire tempus, quo liceret a Sponsalibus resilire.

Nimium rigida etiam apparet horum sententia, si consideremus esse posse in Contrahentibus ignorantiam hujus Privilegii, cujus notitiam non consequantur nisi post adeptam Pubertatem, & quidem longo tempore; tunc enim hoc Privilegio privarentur sine eorum culpa; quod præsumi non debet, si spectetur finis Legis concedentis hanc facultatem ad Pubertatem perventis.

Unde nobis videtur, quod facti Puberes uti valeant facultate a Jure concessa resiliendi a sponsalibus in Impubertate contractis, quando certiores facti sint de hujusmodi facultate, & cum primum optio iis se dederit id præstandi. Quin imò plures Doctores, inter quos Pater Schmier de Sponsalibus *P. 3. cap. 2. sect. 1. n. 61.* indulget iis jus resiliendi tandiu, quandiu verbis, vel factis non confirmaverint Sponsalia, in Impuber-

bertate inita, nec altera pars impletionem eorum petierit; cum Jus tempora non definiat. Hunc sequitur Picler sæpius citatus. Hinc liquet quod Sponsalia Impuberum non fiunt indissolubilia post adeptam Pubertatem per solam taciturnitatem Contrahentium, sed requiri confirmationem ipsorum verbis, vel factis: licet minus sit ea confirmare, quam ex integro celebrare; unde a fortiori constat: solam taciturnitatem non sufficere in Sponsalibus initis a Parentibus pro Filiis.

Quid vero dicendum sit de Sponsalibus initis a Pubere cum Impubere, sit ne & ipsis concessa facultas resiliendi, vel a Pubere non expectato Pubertatis adventu Impuberis, vel dum Pubes & ipse factus est, utrisque concessa sit, vel solum eidemmet Impuberi post Pubertatis adventum? Ex Jure ipso innotescit. Nam Puberi contrahenti Sponsalia cum Impubere nunquam concedi facultatem resiliendi a dictis Sponsalibus *Cap. 7. v. Mulier de Sponsalibus* docet, sicuti ex eodem capite apparet soli Impuberi concessam esse facultatem resiliendi, quando factus est Pubes. Ratio autem, quare Jus non concesserit facultatem Puberi resiliendi a Sponsalibus initis cum Impubere, quia nempe pro Pubere cessat finis Legis, scilicet non præsumitur infirmus, atque inconsideratus consensus datus in Sponsalibus; proinde non egens Confirmatione, quemadmodum præsumitur egens Confirmatione consensus Impuberis; Propterea dum ad Pubertatem pervenerit, verbis, vel facto confirmare tenetur.

13. Quoniam egimus hucusque de Personis, quæ Sponsalia contrahere possunt ipsæ per se, nunc superest inquirendum, an possint eadem celebrare per Procuratorem, Proxenetam, Internuncium, aut Litteras: quibus satisfieri potest, præmittendo Caput Final. de Procuratoribus in sexto, quod habet: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. Item, qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum. Cap. 68. & 72. de regulis Juris in sexto.*

Qua posita Juris dispositione, quia Sponsalia sunt contractus Juris naturalis, & per stipulationem etiam evadunt contractus Juris civilis, vel saltem civilem pariunt obligationem, sub allata proinde Juris dispositione cadunt, ut sicuti alii contractus per alium, scilicet Procuratorem, vel Proxenetam, seu Mandatarium, vel denique Internuncium, vel etiam per Litteras celebrantur, ita & sponsalia; neque id ab ullo positivo jure prohibeatur.

An autem isti Procuratores, seu Proxenetæ debeant habere Mandatum a Principalibus, & quidem cum solemnitatibus Juris factum ut plerumque in aliis contractibus?

Respondemus sufficere etiam Mandatum verbale, neque requiri Scripturam, vel alias solemnitates Juris, nisi pro foro externo: quod tamen habere debet, est, ut sit ad certam, & determinatam Personam Mandanti desponsandam; nam si indeterminata esset, & posita in arbitrio Mandatariis

tunc

tunc non orirentur sponsalia: eo quia Consensus sponsalitius respicit Matrimonium, & ad illud ducit, ut ab eo non differat nisi Tempore; videlicet quod consensus Sponsalitius sit de futuro Matrimonio contrahendo, & consensus Matrimonialis sit de præsenti; sicuti ergo repugnat Consensum de præsenti respicere incertam Personam, ita & Consensum de futuro.

Confirmatur etiam, dum spectatur effectus Sponsaliorum, qui est conjunctio animorum. Quinimo promissio tradendi alteri contrahenti Jus in proprium corpus, quod cum non possit indeterminatæ personæ offerri sine peccato, hinc est, quod sponderi non possit indeterminatæ personæ. Ergo Consensus datus in indeterminatam personam, quia illicitus, nunquam pariet valida Sponsalia.

Neque dicatur Consensum prædictum, etsi indeterminatum quoad personam a Mandante non designatam, esse tamen satis determinabilem a Mandatario, cui facta est facultas determinandi, proinde posse sufficere pro Sponsalibus.

Nam conjunctio animorum, qui est effectus Sponsalium, haberi non potest, nisi unus ex iis in alium determinatum respiciat; quomodo enim tendere potest voluntate sua in eum, seque illi unire non eo cognito, ut termino suæ unionis? Sed dato Consensu a Mandante, qui sit indeterminatus, datur motus animi in terminum vagum; ergo in terminum, cum quo conjungi nequit affectione; sed si hoc, consensus hujusmodi non sufficit ad Sponsalia, quia non producens primarium effectum Sponsaliorum; ergo &c.

Vidimus quale esse debeat Mandatum; nunc quibus Personis fieri possit indicabimus.

14. Etsi non possint contrahere Sponsalia, nisi Masculus, & Fœmina, ex eo quod nonnisi Masculus, & Fœmina possint contrahere Matrimonium ad invicem, tamen constitui possunt Mandatarii ad sponsalia ineunda duo Masculi, vel duæ Fœminæ; quemadmodum etiam fieri potest in Matrimonio contrahendo. Et ratio est, quia ipsi Mandatarii non sunt contrahentes, neque se ipsos obligant, sed suos Principales; propterea non attenditur cujus sexus sint ipsi, sed cujus sint contrahentes Mandantes; nam contractus sive Sponsalitius, sive Matrimonialis habet pro materia non Mandatarios, sed Principales; & sicuti consensus Mandantis commissus Mandatario non amittit suam rationem, videlicet quod sit: ex. gr: Consensus Masculi, etsi fuerit commissus Fœminæ, vel contra, ita licet hic Consensus delatus sit a Fœmina alteri Fœminæ, vel contra, non exinde tollitur, quin duo Consensus scilicet Masculi, & Fœminæ conjungantur. Quod si conjungantur, statim exurgunt Sponsalia, idemque dices de Matrimonio.

15. Quin immo magis confirmatur superius dictum, ex eo quod possint etiam Sponsalia contrahi per Litteras, quæ profecto, quia non sunt Personæ, nec

nec Masculi, aut Fœminæ dici possunt, & tamen ipsismet inanimatis paginis committitur contrahentium respectivus consensus.

Posse autem contrahi Sponsalia per Litteras jam ex supra allegatis Juribus nempe *ex Cap. fin. de Procurat. in 6. & Cap. 68. 61. de Regulis Juris in 6.* & novissimè ex sensu Sacræ Congregationis Concilii Tridentini satis patet. Neque obest, per easdem contrahi non posse Matrimonium; nam ratio, ob quam non potest per Litteras contrahi Matrimonium, est, quia Consensus matrimonialis ut valeat, exhibendus est coram Parocho, & Testibus, ut novissimè ex Tridentino, qui nisi ab animatis rationeque utentibus exprimi potest, & quia tum Parochus, tum Testes debent posse Testimonium ferre de aliquo gesto coram ipsis, nempe de utriusque Contrahentis expresso Consensu, quod non possent ex pura Litterarum inspectione; & Card. De Luca *Disc. 16. De Matrim.* etsi recenseat sententiam de valore Matrimonii per Litteras initi uti probabilem; Tamen eam reicit præsertim ex eo, quod ea admissa ad pristinam clandistinitatem sublatam a Tridentino revocarentur Matrimonia, videantur *n. 21. 22. 23. Romana Matrimonii*. Addi etiam potest alia ratio, ob quam per Litteras contrahi non possit Matrimonium, & est, quia Matrimonium fidelium, cum sit Sacramentum, a cujus ratione est inseparabile, & sententia probabilis sit ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem, seu Parochum, jam si per Litteras contraheretur, deficerent suscipientes, neque cartis ministrari possunt Sacramenta; ne itaque saltem periculo nullitatis exponatur Sacramentum, Ecclesia prospexit, non admittens ut validum, si per Litteras contrahatur. Hæc autem non procedunt de Sponsalibus; unde illa per Litteras inita valent, non autem Matrimonium.

16. Pro complemento eorum, quæ pertinent ad Personas Sponsalia inire volentes, quæri hic potest, an unus alteri ex contrahentibus manifestare teneatur defectus si habeat?

Certum apud omnes Theologos ac Juris peritos esse, quod tenetur quilibet manifestare defectum, qui repugnat substantiæ Matrimonii, vel qui noceret alteri parti, vel in periculum gravis damni eandem partem induceret, eamque vel justo mœrore afficeret, uti est Lepra, Paralisis, Morbus Gallicus, mores perditi, Infamia, Sterilitas, Impregnatio vigens facta ab alio. Hæc omnia non ægent probatione; etenim constat debere illa manifestari, quæ non patefacta justam præbent causam resiliendi a Sponsalibus, nisi pro quibusdam præceptum, aut jus aliquod naturale prævaleat eximens ab hoc onere. Defectus autem, qui adversantur bonis Matrimonialibus, ita sunt manifestandi, ut a nullo naturali Jure excusentur ii, qui illos defectus occultant.

Quos autem defectus proprios non tenetur contrahens manifestare parti, hic numeramus, & sunt omnes ii, qui occulti allaturi non sunt notabile

bile damnum, aut molestiam alteri parti, ut est præcedens fornicatio Sponsi, vel Sponsæ cum aliis habita sine impregnatione, vel etiam ea secuta, sed postmodum per partum soluta. Ignobilitas, paupertas, leves defectus corporis, vel animi; quia isti defectus manifestari nequeunt sine probro manifestantis, & parti non admodum nocent: hinc fit, ut illos habens non teneatur sub gravi manifestare alteri contrahenti. Et hæc satis de Personis contrahentibus Sponsalia, nunc de Sponsaliorum effectibus.

§. II.

Sponsalium qui sint effectus, præsertim a Juris dispositione prodeuntes.

1. PRimus est obligatio gravis, quam inducunt, ut contrahentes teneantur procedere ad Matrimonium celebrandum, hanc supra exposuimus, agentes de definitione Sponsalium; nunc quæ de ipsa supersunt dicemus. Et primo dicimus esse obligationem Justitiæ per se gravem, ut ex *Canone* 27. 47. 50. *Causa* 27. *Quæst.* 2. et est ratio; nam obligatio versatur circa materiam gravem, qualis est de Matrimonio ineundo; ergo & ipsa obligatio; proinde nisi contrahentes expresse manifestaverint tantum ex Fidelitate, aut sub mera culpa veniali se velle obligare, jam præsumendum est, ex Justitia, & sub peccato mortali superesse obligatos.

Et quamvis opponatur Textus Legis *Cod. de Sponsalibus*, qui habet: *alii desponsatæ renunciare conditioni, & nubere non prohibentur.*

Nam Jus Civile procedebat tantumodo ante Constitutas Canonicas Leges, nunc autem statutum est per ipsum Jus Canonicum, quod nedum peccat mortaliter sine justa causa resiliens a Sponsalibus, sed etiam injustè tentans resilire, & quod sit cogendus injuste resiliens Ecclesiasticis penis ad complenda Sponsalia.

2. Quia obligatio Sponsalium, respicit Matrimonium futurum, etiam videtur respicere intermedium tempus a Sponsalibus nempe ad Matrimonium, atque obligare, ut quæ sunt promissa in Sponsalibus, integrè serventur, ac custodiantur, ut postea per Matrimonium alteri parti tradantur ea integritate, quam habebant, dum fuerunt promissa. Propterea locus hic est quæstioni illi a Doctoribus excitatæ: an Sponsus, vel Sponsa fornicando cum alia Persona peccet mortaliter etiam contra Justitiam, sitque una, ex circumstantiis necessario aperienda in Confessione.

Pro cujus solutione præmittere oportet in Sponsalibus non aliud alteri policeri, quam suo tempore procedendi ad celebrationem Matrimonii, in qua promissione nihil habetur de iis, quæ pertinent ad conservationem integritatis corporum; proinde ex sola obligatione Sponsalium secluso quocumque damno, alteri parti fortasse obventuro, non apparet vio-

violatio Justitiæ in alterutro ex Sponsis si fornicetur; etenim si hæc sequi deberet, in ipsa obligatione Sponsalium involutam esse oporteret obligationem vel servandi virginitatem, vel castitatem; sed hæc obligatio non continetur in Sponsalibus; ergo non ex obligatione Sponsalium venit debitum ex Justitia servandi virginitatem, vel castitatem.

Si autem non descendat ab obligatione Sponsalium, secluso semper damno alteri parti obvento, vel obventuro, non habetur origo in Sponsalibus, a qua venire possit obligatio Justitiæ servandi castitatem. Ergo si alteruter ex Sponsis fornicetur, non peccabit contra Justitiam.

Et en fundamenta negantium violari Justitiam a Sponsis, si fornicentur cum alia, vel alio.

Qui oppositæ sententiç favent inquiunt: per promissionem rei conceditur promissario jus ad ipsam rem, & quidem ex Justitia; Ergo qui offendit hujusmodi jus concessum promissario, peccat contra justitiam.

Sed qui dolose contrectat, seu abutitur re alteri promissa, offendit Jus promissario concessum, ut constat *Leg. itaque Fullo D. de Furtis. Illustriss. Sac. Instit. Juris Civilis Lib. 4. T. 1. Fol. 360. Edit.* 1744. Ergo si Sponsi dederint sibi jus ad rem, nempe ad eorum corpora in promissione Sponsalitia, vitiando eadem corpora dolose, ledunt sibi invicem jus ad eadem corpora, sibique ipsis invicem injuriam irrogant; proinde peccant contra Justitiam; atque inde consequitur circumstantiam hujusmodi additam Fornicationi, quia inducit in peccato fornicationis malitiam oppositam alteri virtuti, nempe Justitiæ, aperiendam esse in Confessione.

Ingenue tamen fatemur primorum sententiam arridere magis: nempe Fornicationem ab alterutro ex Sponsis cum alia, vel alio commissam præcise, & per se spectatam, non attentis, quinimmo exclusis consequentibus ex ea prodire solitis, ultra malitiam contra castitatem, non importare malitiam injustitiç, ob quam circumstantia habeatur aperienda in Confessione. In cujus confirmationem præter dicta ab Auctoribus hujus sententiæ patronis, non aliud superest, quam diluere momenta secundæ Sententiæ. Quod ita præstamus.

3. Ad primum Entimema ab iis confectum: scilicet per promissionem rei conceditur &c. Respondemus distinguendo antecedens, scilicet per promissionem rei conceditur promissario jus ad rem, & quidem ex Justitia: Si res sit quid realiter distinctum a promittente vel corporale, vel incorporale, omittitur: si verò nullo modo distinguatur a persona promittentis, negatur, & sub data distinctione negamus, & concedimus consequentiam.

Ad minorem subsumptam, quæ est: sed qui dolose contrectat &c., pariter distinguitur: si fuerit res distincta a persona promittentis, conceditur, si secus negatur.

Consequentia tandem quanta est negatur, dicimus autem tunc solum promis-

missario concedi jus ad rem, quando res distinguatur realiter a persona promittente, quia tunc res illa hypothecatur promissario, ut possit sibi cavere de executione promissionis. Etenim si promittens renuat stare promissis, poterit promissarius rem afficere, atque apud Judicem instare, ut sibi decernatur, adimpletis per eundem promittentem adimplendis, ut promissio habebat. Ex quo apparet, quod consensus promittentis, etsi tunc deficiat, adhuc per Judicem suppleri possit.

Si autem realiter res promissa non distinguatur a promittente, tunc promissarius non acquirit ullum jus ad rem promissam; etenim quia hæc non distinguitur a promittente, nunquam experibile est præfatum Jus; nam in hypothesi, quod promittens reluctaret exequi promissionem, nihil esset extra illum, quod promissarius afficere posset, & apud Judicem instare, ut ipsi decerneretur. Quod fortius procedit in hac materia, in qua promissio respicit consensum Matrimonialem suo tempore præstandum, qui cum debeat esse actus liber, atque internus, & univocis signis manifestatus, hic distingui nequit a promittente, neque a quolibet Judice suppleri potest; quia Matrimonium amborum contrahentium consensu perficitur, non alterius extranei, quia non datur Maritus invitæ, sicut nec Uxor invito.

Qua posita distinctionis expositione sequitur in Sponsalibus non concedi jus ad rem, proindeque non hypothecari corpora contrahentium; etenim a nullo Judice decerni potest corpus promittentis nunc inviti promissario instanti, quia Judex supplere nequit consensum amborum contrahentium essentialiter requisitum in Matrimonio; Qui solus consensus fuit objectum promissionis Sponsalitiæ, quæ non aliud objectum ipsa habere potest.

Quæ cum ita sint, apparet non violari Justitiam a Sponso, vel a Sponsa fornicantibus, neque invicem sibi injuriam irrogare, præcisis semper, quin immo exclusis consequentibus supra indicatis.

Proinde etiam sequitur circumstantiam initorum Sponsalium in fornicante non inducere obligationem, ut eandem in Confessione aperiat.

4. Si autem sequantur illi effectus superius exclusi, puta infamia alterutrius, vel illegitima proles ab Innocente alenda, vel alia hujusmodi damna, tunc ratione damnorum illatorum superius dicta Fornicatio erit etiam contra Justitiam; proindeque induet circumstantiam aperiendam in Confessione; dixi inquam ratione damnorum, vel infamiæ &c. ut Ostenderem non per se opponi Justitiæ illam fornicationem, sed solum per accidens. Proinde prædictam fornicationem per se non involvere peccatum injustitiæ. Verum de hac satis.

5. Nunc de reliquis effectibus Sponsaliorum. Quorum unus est negativus, consistens nempe in removendis omnibus impedimentis Matrimonii futuri quæ sint in potestate Sponsorum. Etenim promittentes Matrimonium im-

implicitè etiam promittunt se expeditos reddere, ut procedere valeant ad Matrimonium. Secus manifestarent se non perseverare in ea animi deliberatione, quam habuerunt, dum contraxerunt Sponsalia, sicque recedere a promissis.

6. Multo autem magis, & en effectus positivus, tenentur ponere omnia media, quæ sunt in ipsorum potestate, conducentia ad Matrimonium contrahendum. Ratio autem eadem est, quam nuper pro effectu negativo dedimus. Propterea nequit Sponsus licitè cum alia Matrimonium inire, nequit Sacros ordines suscipere, bene verò poterit Religionem ingredi, ac profiteri: ut constat *Cap. 7. de Conversione Conjugatorum*, quia statui Religioso privilegium hoc à Jure concessum est; non verò Clericali Militię.

Diximus licitè; nam si aliquis Subdiaconatus ordinem susceperit post Sponsalia contracta, omnimode Sponsalia dissolvuntur.

7. Tertius effectus est, ut statuto tempore Sponsi deveniant ad celebrationem Matrimonii. Tempus autem hoc vel est conventum in Sponsalibus, vel illa simpliciter sine ullo termino temporis sunt celebrata. Si primò, intra illud spatium statutum tenentur contrahere Matrimonium, quod si culpabiliter omiserint, peccabunt contra Justitiam, ut ex *Cap. 10. hoc T. &c.*

At quoniam tempus potest duplici ratione apponi, una ad finiendam obligationem, alia ad merè solicitandam executionem promissionis, hinc est, ut lapso tempore apposito secundum primam rationem, exinde Sponsi liberentur ab obligatione contrahendi Matrimonium. Si autem lapsum sit tempus appositum juxta secundam rationem, tunc Sponsi non solvuntur ab obligatione procedendi ad Matrimonium celebrandum, sed semper remanent obligati. Si postea nullum fuerit expressum tempus in Sponsalibus celebratis, tunc a Judice Ecclesiastico impetranda est præfixio temporis, intrà quod pars renuens cogatur ad celebrandum Matrimonium. In hac autem re videatur Notificatio quinta voluminis tertii Benedicti XIV.

8. Potius hic quæri potest, quid sentiendum de Sponsis, qui neuter ab altero petit executionem, sed ambo silent, an inquam obligationem habeant petendi executionem.

Quamvis non desint sentientes alterutrum ex his teneri petere executionem, & quidem quamprimum: uti Coninch., Palao, Reinphestuel; adhuc tamen probabilior sententia videtur in nullo ex Sponsis esse obligationem petendi; etenim ut quis ad debitum solvendum teneatur, prius monendus est de suo debito a creditore *Leg. 10. Cod. de Pignoribus*, dicente: *Debitores præsentes prius denunciationibus conveniendi sunt*. Probatur etiam, quia silentium indicat compartem consentire in dilationem, nisi taceret vel ob metum, vel ob verecundiam, quibus casibus ur-

urgeret obligatio contrahendi in ea parte, quæ causa esset prædicti metus, vel verecundiæ.

9. Si demum Sponsus, vel Sponsa Matrimonium contrahere renuat debito tempore, & urgeat pars altera, tenebitur renuens, dum injustè renuit, damna comparti emergentia resarcire, hocque etiam ante sententiam Judicis, & ulterius tenebitur post sententiam Judicis solvere comparti innocenti, quod a Judice decretum fuerit favore ejusdem innocentis; nisi inter se partes de hoc conveniant. Judicem verò posse condemnare injustè renuentem, nedum ad reficienda damna, & resarciendas expensas, sed etiam ad aliquam summam pecuniariam pro compensatione injuriæ gravis pretio æstimabilis irrogatæ innocenti per injustum recessum a celebrando Matrimonio promisso, certum omnino est.

Etenim per illum injustum recessum contemnitur pars innocens; Ergo Judex potest decernere pro satisfactione hujus injuriæ summam aliquam pecuniariam, quæ tamen summa non stabilienda ad arbitrium partis lesæ, vel lædentis, sed Judicis arbitrio naturali æquitate moderato, inspectisque personarum circumstantiis.

10. Hucusque de effectibus, qui prodeunt a Sponsalibus ab intrinseco, eorumque spectata natura; nunc de iis, qui ex jure positivo ab iisdemmet Sponsalibus proveniunt; estque unicus, qui dicitur impedimentum publicæ honestatis. Hæc publica honestas impediens, ac dirimens Matrimonium cum extraneo, vel extranea celebrandum ab alterutro, ex Sponsis adnexa fuit Sponsalibus per plures Canones, scilicet 11. 14. 15. *&c. Causa* 27. *Quæst.* 2. *& Cap.* 4. 8. *hoc T.* Et per plura alia Juris Canonici capita.

Verum tamen est, quod ex solis Sponsalibus validis, & absolutis hæc publica honestas oritur, ut ex iisdem citatis Juribus constat; quemadmodum si fuerint conditionata Sponsalia, nonnisi post purificatam conditionem oriri prædictam publicam honestatem, *ex Cap. unico Hoc T. in 6. & Cap.* 4. *de Desponsatione Impuberum*.

Etsi ante Tridentinum hoc impedimentum publicæ honestatis descendens a Sponsalibus se produxisset ad plures gradus, scilicet usque ad quartum, nunc temporis ab eodem Tridentino correptum est ad primum gradum, ultrà quem nullatenus se extendit. Hoc constat *Sess.* 24. *Cap.* 3. *de reformatione Matrimonii*.

11. Quærunt tamen aliqui: an ex Sponsalibus apparenter tantumodò validis; sed reverà invalidis, vel ex defectu consensus, vel ex impotentia occulta perpetua, vel alia de causa, oriatur publica honestas; cum videatur publicæ honestati repugnare, quod ille, qui publicè habitus est pro Sponso vero v. gr. Semproniæ, contrahat Matrimonium cum hujus Sorore nulla obtenta dispensatione.

Verum Quæstionem solvit idem Tridentinum eodem loco citato, in quo decernit, non oriri ex Sponsalibus quacunque ratione invalidis.

Si

Si autem dubium esset de validitate ipsorum, Sacra ejusdem Concilii Tridentini Congregatio respondit, ut in similibus super irregularitate *in nullius Compostellana 2. Octobris 1723.*, obtinendam esse dispensationem super Impedimento dubio publicæ honestatis, quæ dispensatio, dicitur data ad cautelam, eo casu, quo alter ex Sponsis vellet ducere in Matrimonium Sororem Sponsæ, vel aliam primi gradus consanguinitatis prædictæ Sponsæ, & quod de Sponso, idem dicatur de Sponsa.

12. Quoniam de impedimento publicæ honestatis ex Sponsalibus proveniente agimus, quia hoc non se extendit, nisi ad primum gradum; nunc Personas primi gradus recensebimus: & istæ sunt Pater, & Mater, Frater, & Soror, & non alia Persona; cum his inquam tantumodo contrahunt publicam honestatem celebrantes Sponsalia, scilicet Sponsus cum Matre, & Sorore suæ Sponsæ, ipsa verò Sponsa cum Patre, & Fratre sui Sponsi, cum his inquam contrahitur impedimentum publicæ honestatis.

Hoc ex eodem Tridentino loco citato apertum est, licet aliter statuat de impedimento publicæ honestatis proveniente, vel ex Matrimonio Rato, vel ex Matrimonio nullo, dumodo non sit nullum ex defectu consensus, ut suo loco videbimus.

Advertimus tamen, quod si Sponsus ex. gr. Sejæ tentaverit contrahere Matrimonium cum Sorore ejusdem Sejæ, licet ex tali Matrimonio nulliter contracto oriatur publicæ honestatis impedimentum se extendens usque ad quartum gradum, non operatur tamen retrò, idest non inducitur præfatum impedimentum inter Sponsum, & Sejam, quia precedentia Sponsalia non infirmantur ab hoc superveniente impedimento publicæ honestatis; estque hoc definitum *ex Cap. Unico in 6. dicto T.* in quo habetur, *quod impedimentum publicæ honestatis sit inductum ad impediendum, vel dirimendum sequentia Sponsalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum.*

13. Tandem pro complemento, dicimus hoc impedimentum publicæ honestatis esse perpetuum, nec tolli ex dissolutione Sponsalium quacunque ex causa. Hoc patet ex declaratione Cardinalium 1658. approbata ab Alex. VII., qui jussit hanc Doctrinam non amplius revocari in dubium: id refert Fagn. *H. T. n. 29.*, etsi olim tantumodo fuerit probabile, & eruebatur *ex Cap. 11. 14. Cans. 27. Quæst. 2. & ex Cap. 5. de Desponsatione impuberum*, Quod caput hanc reddit rationem: *quia inhonestum videtur, ut Matrem habeat, cujus Filia fuit sibi desponsata.*

De Sponsalium effectibus non plura, sed de ipsorum dissolutione.

CAPUT TERTIUM.

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

Cum Sponsalia sint merus contractus humanus solo contrahentium consensu constans, humanique contractus] dissolutioni ut plurimum subjaceant, hæc quoque ex iis sunt, quæ dissolvi possunt; proinde expeditis iis, quæ pertinebant ad ipsorum celebrationem, & etiam ad effectus ab ipsis productos, expedit hic agere de ipsorum dissolutione. Ideo autem Sponsalia dissolvi possunt, quia stabilem, fixumque statum ipsa non inducunt natura sua; quapropter quibus modis reliqui humani contractus dissolvuntur, & ipsa dissolvi possunt.

§. I.

Quæ ipso Jure dissolvant Sponsalia;

1. ET primò Morte naturali alterutrius, quia ipsa solvit omnia; Secundò, ipso jure ex utraque parte.

Tertiò per recessum liberum unius, cui data est justa causa resiliendi; quamvis posset non resilire.

Ipso autem Jure ex utraque parte dissolvuntur Sponsalia mutuo consensu; debet autem esse consensus omninò liber, non dolo malo, aut fraudolenter obtentus, non coactus &c. quia mutuo consensu inita fuerunt. Ex regula prima in *Autentic., quia nihil tam naturale, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Leg. 35. D. de regulis Juris.*

At tamen si Sponsalitiæ permissioni additum fuerit Juramentum, vel votum, vel fortasse copula intercesserit: quia inducta est nova obligatio non descendens ex nuda promissione, sed vel a religione, vel ab una rectitudine Justitię, quæ ea non fuerit involuta in obligatione promissionis Sponsalitiæ: autumarunt proinde plurimi Auctores, prædicta Sponsalia his vestita circumstantiis mutuo consensu partium dissolvi non posse, quibus assentiuntur plerique.

Etenim præter rationem Legis de regulis Juris *Cap.* 1. quæ est, *ut omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvatur*, si proinde mutuo consensu inierint Sponsalia, etiam mutuo dissensu eadem dissolvere valeant.

Est primò, quod Juramentum adjectum Sponsalibus est eorum accessorium; cum autem possint contrahentes renunciare principali, illudque omninò auferre, poterunt quoque efficere, ut vis Juramenti cesset.

Neque dicat aliquis, Juramentum factum esse in honorem Dei; Ergo a solo Deo, non ab uno ex contrahentibus remittendum; Ergo saltem in hono-

honorem Dei non dissolvenda Sponsalia: Huic inquam respondet D. Thomas 2. 2. *Quæst.* 89. *Art.* 9. *ad* 2. inquiens; *Promissarium non posse remittere Juramentum intuitu Pietatis factum pro illo casu, quo res Juramento promissa non cedit tota in utilitatem ejus, cui Juratum est*. At Sponsalia cedunt tota in utilitatem ipsorum contrahentium, vel saltem alterutrius. Ergo, ut tollatur obligatio Juramenti, satis erit Consensus illius partis in cujus gratiam Juratum est; quod procedit etiam, si in Juramento præstando contemplata fuisset pauperies sublevanda alterutrius, cui pariter cedere potest pars, in cujus gratiam Juramentum, vel votum est emissum. Idque sæpius definivit Sacra Tridentini Congregatio, ut *in Tudertina* 9. *Maii* 1719.

Id, quod diximus de Juramento, & voto, dicemus etiam de carnali copula a Sponsis invicem habita, quæ etsi ante Tridentinum, dumodò affectu Maritali peracta esset, effecisset, ut Sponsalia in Matrimonium transiissent, propterea evasissent indissolubilia per *Cap.* 15. 30. *H. T.* quemadmodum etiam nunc in iis Terris, in quibus acceptatum non est Tridentinum, tamen apud nos procedit ejusdem Concilii Tridentini dispositio, decernens Sponsalia etiam per copulam carnalem confirmata non transire in Matrimonium, sed superesse copulam Fornicariam. *Sess.* 24. *de Matrimonio Cap. de Reformatione*.

Si autem copula inter Sponsos non sit nisi copula Fornicaria, jam ipsa non est effectus Sponsalium, non via licita ad Matrimonium, neque habens secum vinculum peculiare, quo ligentur fornicantes ad Mattimonium postea contrahendum; propterea patet ab ea Sponsis libertatem, ac potestatem non tolli, quin a Sponsalibus mutuo discensu discedere valeant; & si fortasse obligatio aliqua esset standi Sponsalibus carnali copula affectis, hæc solius charitatis esset erga conceptam in hypothesi prolem, quæ tamen sub gravi urgere non apparet.

Ipso iure similiter ex parte unius dissolvuntur Sponsalia, si unus ex contrahentibus fuerit impubes tempore initorum Sponsaliorum, deinde factus pubes dissentiat.

Et hoc ex facultate concessa a Jure eidemmet impuberi facto puberi ex *Cap.* 7. *de Sponsalibus V. si vero, & V. Mulier; supracitatis*. Quemadmodum ipso Jure solvuntur Sponsalia per impedimentum superveniens, propter quod non potest amplius contrahi, vel valide, vel licitè Matrimonium: uti esset affinitas primi, & secundi gradus, quæ semper supponitur orta ex illicita copula, professio religiosa, susceptio Ordinis Sacri, actuale Matrimonium cum alia nec consanguinea, nec affine.

2. Sed præstat ea numerare, quæ dissolvunt Sponsalia, si iisdem superveniant. Primum est, impotentia phisica, quæ sicut phisicè reddit inhabiles contrahentes, ad Matrimonium, ita ipso facto disolvit præcedentia Sponsalia.

3. Secundum est affinitas orta ex copula illicita, a cujus impedimento ex plurium sententia, delinquens tenetur propriis expensis obtinere dispensationem, si facilis sit obtentu, neque expensæ sint extraordinariæ; idque ne culpa patrocinetur delinquenti: eo quia ponendo culpabiliter impedimentum Matrimonio futuro graviter violavit jus alterius, cui data fuit fides de hujusmodi Matrimonio; Ergo tenetur ex Justitia removere impedimentum, si possit.

Alii tamen contra sentiunt, dicuntque neminem teneri ad petendam hujusmodi dispensationem, quæ, cum sit actus procedens a voluntate Principis, inter impossibilia reputatur; & addunt, dispensationes esse vulnera legum, per quas Jus comune læditur; propterea nemo obligatur ad reparandum jus alicujus privati, per hoc, quod vulnus inferatur vel procuretur inferri Juri publico.

Quod æquius videtur, est, non teneri hujusmodi dispensationem procurare, qui deliquit, nisi in fraudem id fecisset, quia tunc dolo malo assumpsisset illam copulam, ut medium ad inducendum impedimentum affinitatis, seque tunc verè ex industria egisset illud peccatum ad reportandum ex eodem comodum, nempe dissolutionem præcedentium Sponsalium; & proinde peccavisset contra Justitiam; quod si peccavisset contra Justitiam, apparet etiam teneri ad petendam dispensationem, ut impedimentum dolose inductum removeatur.

Diximus non teneri ob momenta adducta in secunda sententia; & etiam quia, nec expresse, neque implicitè, dum celebravit Sponsalia, se obligavit ad non fornicandum, ut supra vidimus; Ergo si ratione fornicationis cum alia, quæ non sit consanguinea Sponsæ, non violaverit Justitiam, neque est dicendum, quod violaverit per fornicationem cum consanguinea Sponsæ: quod si non violaverit Justitiam, ad nihil tenetur; Ergo non tenebitur petere dispensationem, excepto semper dolo malo supra expresso.

4. Tertium est professio religiosa, sicut & sacrorum Ordinum susceptio: advertimus tamen licitè non suscipi Ordinem Sacrum post Sponsalia jam contracta ignorante, vel invita Sponsa, quamvis licitè emittatur professio religiosa, ut ex *Cap. 7. de Conversione Conjugatorum. Cap. 1. qui Clerici.*

Ratio autem disparitatis inter ordinem Sacrum, & Professionem Religiosam a quibusdam petitur a perfectiori statu, quem dicunt esse Religiosum, præ mere Sacerdotali, sed potius ipsa est petenda a positivo Jure, quod statuit, ut liceret post Sponsalia ingredi Religionem, ibique profiteri, non autem concessit statui merè Sacerdotali: forrasse ob inconvenientia, quæ oriri possent ex familiari consuetudine, quæ forte intercederet cum periculo peccandi inter factum Sacerdotem, & ejus relictam Sponsam.

5. Quartum est lapsus temporis adjecti Sponsalibus ad finiendam obligationem,

nem, quod tempus si ex utriusque culpa sit lapsum, nulli superest jus insistendi pro observatione Sponsaliorum, quia *pari consensu, facta tolluntur, & delicta delictis compensantur in eodem genere. Ex Cap. 85. de Regulis Juris in Sexto*.

Si autem lapsum sit tempus ex culpa unius tantum, non supersunt dissoluta Sponsalia, nisi pars innocens in dissolutionem consentiat, ut ex *Cap. 22. h. T.* habetur, *quod ille tantum liberatur ab obligatione, penes quem non stetit, quin ad statutum terminum Matrimonium consumaverit*. Idest contraxerit.

§. I I.

Causæ actionem dantes rescindendi Sponsalia.

Hucusque vidimus ea, quæ ipso Jure dissolvunt Sponsalia: nunc causas exponemus, per quas possunt contrahentes agere de rescindendis Sponsalibus.

1. Eæ autem causæ septem numerantur.

Prima est dolus in contractu Sponsalitio ab alterutro commissus.

Secunda est vel diuturna absentia unius post Sponsalia contracta, vel diuturna dilatio executionis.

Tertia est ingressus in novitiatum Religiosi Ordinis.

Quarta est votum simplex castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines.

Quinta sunt Sponsalia posteriora, licet invalida, contracta cum alia persona.

Sexta est Fornicatio subsequens, vel carnalis, vel spiritualis.

Septima est notabilis mutatio superveniens, vel ex post detecta, quæ tanta sit, ut si ab initio cognita fuisset, Sponsalia non fuissent contracta.

Ad singulas accedimus.

2. Quoad dolum, quia alius est dolus substantialis, alius accidentalis, & constat dolum substantialem irritare Sponsalia, quia involvit errorem circa personam, cum qua putat quis contrahere, non præstat dicere de dolo accidentali hic proinde sermo habebitur. Atque ut hic præbeat innocenti justam causam resiliendi a Sponsalibus, oportet, ut dederit causam contractui, ita ut si scivisset contrahens rem non ita se habere, uti asseruit altera pars, non contraxisset Sponsalia. Ex. Gr. Se virginem, divitem nobilem Sponsa falsò asseruit, deprehenso dolo, poterit Sponsus agere de rescindendis Sponsalibus.

3. Quoad absentiam diuturnam, vel diuturnam dilationem, plura dicunt Doctores. Verum breviter res expeditur. Etenim quocunque animo discesserit è Patria Sponsus, vel Sponsa, & pariter quocunque animo alteruter nimium differat progredi ad celebrationem Matrimonii, parum id refert, cum pro dissolvendis Sponsalibus ex hac causa requiratur

Judicis interpellatio, qui parti absenti, vel indebitè differenti statuat terminum ad revertendum, vel ad celebrandum; quod si pars vocata præfinito tempore non comparuerit, a Judice ipso sententia ferenda est dissolvens Sponsalia prædicta, ut in Notificatione V. voluminis tertii Benedict. XIV. una cum plurimis Sacræ Congregationis Tridentini resolutionibus.

4. Quoad ingressum in novitiatum Religiosi Ordinis, etsi non dissolvantur Sponsalia per ipsum, datur tamen justa causa remanenti in sæculo resiliendi, si velit; quia cum ingrediens in Novitiatum tacitè videatur renunciare Sponsalibus, ita idem jus resiliendi concessum videtur remanenti in sæculo; quinimmò remanenti in sæculo favet inconstantia ingredientis in novitiatum, quam manifestat circa Sponsalia præcedentia; & hæc præbet justam causam resiliendi parti in sæculo remanenti. Cui addi potest grave incommodum, quod subiret remanens in sæculo, si expectare teneretur annum Novitiatus, tum ob periculum incontinentiæ, tum etiam ob damna, quæ fortasse subiret. Si intra eundem annum alter sibi offeretur melioris, vel æqualis conditionis, quem acceptare non posset ob præcedentia Sponsalia.

Pro parte tamen ingredientis in Novitiatum standum est Sponsalibus usque ad professionem Religiosam, quæ si non sequatur, & remanens in sæculo voluerit expectare, tenebitur ipse e novitiatu egressus adimplere Sponsalia. Quinimmò plurium erat sententia nulli fuisse licitum ingredi Religionem post Sponsalia inita, si fuissent jurata; nisi prius ipse celebravisset Matrimonium, deinde eo perseverante tantum rato, ingredi postea Religionem; idque, ut juramentum servaretur. Verum Sacræ Congregationis Tridentini sensus fuit, licère ingredi religionem etiam post Sponsalia jurata, & non celebrato Matrimonio. Illique visum *Cap. Commissum de Sponsalibus* procedere solum de eo, qui tantum proposuit ingredi Religionem, & adhuc ingressus non est, morasque deliberationis ducit inter Matrimonium, & Religionem. *Tudertina 22. Aprilis 1719. Tom. 1. Fol. 173.*

Sunt qui arbitrantur obligationem Sponsalium vigere etiam pro eo, qui remanet in sæculo, ut teneatur expectare vel professionem, vel egressum a novitiatu illius, qui adiit Religionem pro integro anno novitiatus, nec posse intra illud tempus petere dissolutionem: inter quos citatur D. Thomas; verum id non docuit D. Thomas, nec ratio æquitatis naturalis istis favet; Quinimmò apparet nimium gravari eum, qui remanet in sæculo, si expectare teneatur per annum executionem Sponsaliorum, & quidem incertam, vel probabilius non secuturam.

5. Quoad votum castitatis, vel suscipiendi Ordinem Sacrum, etsi hoc votum non dirimat Sponsalia præcedentia, tamen obligat voventem, vel ad petendam dispensationem voti, si velit procedere ad Matrimonium, vel

vel ad obtinendam a parte rescisionem Sponsalium. Caeterum hoc votum non dat justam causam petendi a Judice sententiam dissolutoriam Sponsaliorum, quinimmò cogetur ad Matrimonium celebrandum ut ex *Cap. Commissum 16. de Sponsalibus*.

6. Quoad Sponsalia posteriora, hæc licet sint nulla, ostendunt tamen animum inconstantem contrahentis, & præbent alteri parti rationabile fundamentum suspicandi de illius fidelitate, ac perseverantia debiti amoris erga semetipsam.

Quapropter ab hac inconstantia desumitur justa causa petendi dissolutionem præcedentium Sponsalium.

7. Quoad subsequentem Fornicationem, quam duplicem diximus, unam scilicet spiritualem, aliam carnalem, advertimus Fornicationem spiritualem esse lapsum in Hæresim, qui lapsus dat innocenti justam causam resiliendi a Sponsalibus, quia omnem comunicationem interdicit inter Fidelem, & Hæreticum; recolantur ea, quæ in Bulla Cœnæ. Ergo etiam ex eo desumitur justa causa resiliendi a Sponsalibus.

Fornicatio verò carnalis Sponsi, vel Sponsæ Sponsalibus superveniens dat justam causam innocenti resiliendi. Ratio est, quia fornicans censetur alteram partem contemnere, & quasi repudiare, seque suspectum facit de non servanda fide in conjugio; Et quamvis per aliquos sola Fornicatio Sponsæ, non autem Sponsi censeatur, dare causam solvendi Sponsalia ex *Cap. 25. de Jurejurando*, in quo habetur: *Si Sponsa contra regulam Desponsationis non venerit*; tamen cum eadem ratio textus militet etiam pro Sponso, eadem etiam juris dispositio militare debet; proinde Fornicatio tum Sponsi, tum Sponsæ alterutri innocenti dat justam causam resiliendi a Sponsalibus.

Quid verò sentiendum sit, si Sponsa fuerit vi oppressa, aut rapta? dicimus non titulo Fornicationis peti posse dissolutionem Sponsalium, sed titulo notabilis mutationis superinductæ, quæ si extitisset tempore Sponsalium, illa non fuissent celebrata, hocque habetur expresse *Can. 33. Raptor 27. Quæst. 2.* De quibus mutationibus paulò infrà dicemus.

Si autem Fornicatio præcesserit Sponsalia, at non eo tempore cognita, sed postea manifestata, & ipsa dat causam petendi dissolutionem Sponsalium; Quinimmò si esset solum manifesta innocenti, & Sponsalia probari non possent in Judicio, pro foro conscientiæ affirmat Pichler, posse innocentem recedere a Sponsalibus sine peccato. Constant dicta ex *Cap. 4. de Exceptionibus*.

Quia ex allegato Jure paria sunt, aliquid supervenire, & ignoranter præcedere; Si ergo subsequens Fornicatio det justam causam resiliendi, dabit quoque Fornicatio præcedens ignorata, sed imposterum patefacta.

Neque opponatur *Cap. 23. de Jurejurando*, in quo legitur: *Si quis Juravit se ducturum aliquam in uxorem, non potest opponere Fornicationem præceden-*

tem, sed subsequentem. Nam hoc exponendum est per illud supra citatum Axioma in Jure fundatum *Lege 77. D. de Contrahenda emptione. Lege 30. D. de Testamentorum Tutela*, in quibus habetur, quod *paria sunt aliquid supervenire, & ignoranter praecedere.* Quid verò sit dicendum, si tam Sponsus, quam Sponsa post Sponsalia fornicentur cum aliis: an utrique, an uni, vel neutri, liceat resilire, vel dissolutionem Sponsalium quaerere? res dubia est, plurimaeque extant Sententiae.

Nobis videtur, utrique licere petere dissolutionem; etenim, etsi videantur delicta sibi invicem compensata, tamen finis, seu causa petendae dissolutionis utrique assistit; nam ex Fornicatione Sponsi Sponsa prudenter timet de inconstantia ejusdem Sponsi in servanda fide Matrimoniali; sicut & Sponsus de Sponsa. Ergo cum ex utraque parte vigeat justa caussa, utrique licebit petere dissolutionem. Idque magis confirmatur ex eo, quod inspiciendum sit bonum Matrimonii potius, nempe fides Matrimonialis, quae bonum commune est, quam Jus privatorum fortasse per delicta compensatum.

Si ergo vigeat justa causa pro utrisque, utrique poterunt petere dissolutionem.

Non autem obest *Cap. 6. de Adulteriis, Lege 10. §. 2. Leg. ult. D. de Compensatione* quod habet. *Paria delicta, mutua compensatione tolluntur.* Nam hoc procedit, quando Matrimonium jam celebratum est, & impossibilis est reddita dissolutio ejusdem, quia tunc bonum Matrimonii non potest melius curari, quam admissa compensatione delictorum conjuges obligare ad secum ipsos cohabitandum; nullique ex iis concedere actionem divortii; quia uterque se manifestavit incontinens, & divortium si iis concederetur majori incontinentiae viam sterneret; Verum antequam celebretur, potest bono Matrimonii satis consuli per rescisionem Sponsalium, quia licet uterque ex Sponsis, cum aliis sit fornicatus, seque incontinens manifestaverit, non inde spoliavit se jure exigendi continentiam in eo, vel ea, quam est in Matrimonium ducturus; vel cui ipsa nuptui est tradenda; quia bonum Matrimonii postulat hujusmodi jus perseverare in quolibet Matrimonium contrahere volente, vel continens ipse sit, vel incontinens; si itaque Sponsi Fornicantes cum aliis non spoliantur praedicto jure per eorum respectivam Fornicationem, jam uterque poterit agere de rescindendis Sponsalibus; cum textus allegatae Legis pro iis non procedat, uti est demonstratum.

Quinimmò si Vir, & Foemina non judicentur ad imparia quoad Fornicationem: *ut ex Can. 20. Caus. 32. q. 5.* dicente: *Apud nos, quod non licet Foeminis, aeque non licet Viris, & eadem servitus pari conditione censetur;* jam patet utrique Sponso fornicanti actionem concedi de rescindendis Sponsalibus; cum eorum delicta ex iis non sint, ut supra vidimus, quae mutua compensatione tollantur: hicque iterum rationem poni-

nimus, nempe quia, ut paria delicta mutua compensatione tollantur, oportet, ut delictum per aliud simile compensandum privet delinquentem Jure exigendi innocentiam in alio, cum quo vel contraxit, vel contrahere promisit; Sponsi autem licet fornicarij per eorum respectivam Fornicationem non privantur hujusmodi Jure; quod pariter ostendimus supra; Ergo Fornicatio utriusque, licet fortasse par delictum, mutua compensatione non tollitur.

Expositam sententiam docent, ac sequuntur plurimi. Ut Palao, & novissime Mascat eos citans.

Sunt etiam, qui docent neutrum posse resilire, sive actionem instituere de rescindendis Sponsalibus, ut Palud., & alii. Denique Sanchez, & Pichler cum plerisque affirmant Sponsum resilire posse, non verò Sponsam, quia, inquiunt, in hac præter delictum fornicationis, in quo par est Sponso, etiam altera causa est nempe specialis turpitudo.

Verum hæ duæ posteriores sententiæ satis eliduntur a momentis primæ sententiæ. Nam quoad eam Paludani patet ex eo, quod Fornicationes Sponsorum mutua compensatione non tollantur; ergo Sponsi non privantur Jure resiliendi: Quod porro attinet ad sententiam Sanchez, & Pichler æque constat. Etenim ab his minime negatur Fornicationem alterutrius ex Sponsis, vel Masculus, vel Fœmina sit, concedi parti innocenti jus resiliendi a Sponsalibus; concedi pariter Fornicationem par esse delictum in Sponso, ac in Sponsa, nec mutua compensatione tolli; sed his concessis prima sententia admittitur, non quam ipsi docent. Ergo ex ipsis sua sententia infirmatur.

Neque quidquam roboris obtinet ex eo, quod dicant fœdiorem esse fornicationem Sponsę, quam Sponsi, proinde huic concedi jus resiliendi, non autem Sponsæ; Nam etsi fœdior quoad specialem turpitudinem, in delicto tamen par est Fornicationi Sponsi; ob quod delictum prudens suspicio violandæ fidei conjugalis desumitur; hæcque sit causa sufficiens resiliendi a Sponsalibus, utrique favens. Specialis postea turpitudo, quę in Sponsa fornicante advertitur, hæc dabit Sponso ulteriorem aliam causam dissolvendi Sponsalia, at non privabit Sponsam jure resiliendi a Sponsalibus ob fornicationem sui Sponsi cum alia, ut consideranti res liquet.

8. Verum de hac satis; potius quæremus quid sentiendum de osculis, tactibusque impudicis post Sponsalia admissis vel a Sponso, vel a Sponsa, vel ab utroque cum alia persona. Etsi relati Auctores pro secunda, & tertia sententia respondeant coherenter ad suas opiniones; nos tamen non recedentes a superius statutis dicimus, oscula & tactus inhonestos præbere justam causam innocenti resiliendi a Sponsalibus; idque ob rationem datam superius pro Fornicatione; nam oscula & tactus impudici excitant prudens motivum suspicandi de inconstantia servandæ fidei con-

conjugalis, ut patet, quæ est justa causa resiliendi. Si itaque unus deliquerit, alter innocens agere poterit de rescindendis Sponsalibus; Si uterque, ambo pariter agere poterunt de ipsis solvendis Sponsalibus. Hocque affirmamus cum Patronis primæ sententiæ, inter quos P. Schmier. n. 124. ob rationem eandem superius dictam; neque ullum conspicimus discrimen inter Virum, & Fœminam in hac materia; cum utrique valde interesse debeat fidelitas Matrimonialis, de cujus inconstantia alteruter de alio prudenter dubitare potest, quodque præcipue in hac re spectatur. Sint postea magis in Fœminis probrosa oscula, & tactus impudici, quam in maribus ex hominum opinione, nihil refert. Nam in ordine ad Matrimonialem societatem ineundam paria sunt, cum pares sint Vir, & Fœmina; neque gravius peccatum sint in Fœmina, quam in Masculo. Itaque si viro liceat petere dissolutionem Sponsalium ob oscula & tactus inhonestos in Sponsam ab alia persona admissos, licebit quoque Sponsæ ob similia exercita a Sponso cum alia.

9. Tandem ad septimam causam accedentes, per quam juste peti potest dissolutio Sponsalium, eam expendimus. Hæcque est notabilis mutatio superveniens Sponsalibus, quæ tanta sit, ut si ab initio fuisset, Sponsalia non fuissent contracta.

Hæc inquam mutatio uni ex Sponsis superveniens vel physica esse potest, vel moralis, utraque plurimas habet partitiones, easque omnes persequi & longum, & forte impossibile; cum plerçque ex iis prodeant peculiaribus circumstantiis contingenter invicem convenientibus, quæ non nisi prudentum arbitrio discerni, ac judicari possunt.

Hinc potius spectanda est regula generalis: Illam scilicet esse notabilem mutationem, quæ vel a Judice, vel a prudentum arbitrio talis decernitur; qui tamen in ea stabilienda animum convertere debent ad hæc, scilicet, an posita mutatione difficilior reddatur Sponsalium executio, vel infelices timeantur exitus; vel pars altera, si eam prçvidisset, Sponsalia non contraxisset. Quibus animadversis de ea sententiam ferre debent, prout suadebunt animadversa.

Huic mutationi çquiparatur notitia superveniens alicujus circumstantiæ, aut qualitatis tempore Sponsalium in uno ex contrahentibus existens tunc alteri non manifesta, quæ judicio prudentum potuisset ab iis absterrere; quia ut supra retulimus, in Jure paria sunt, aliquid supervenire, & ignoranter præcedere: *Cap. 4. de Except.*, *& lib. 77. D. de Contract. Emp.*

Ut autem res pateat, exempla ponemus aliqua tum mutationis physicæ, tum mutationis moralis.

Mutationis physicæ sunt deformitas, amissio oculi, narium, manus, Lepra, Paralisis, vel alius morbus incurabilis, aut contagiosus, etiam sterilitas superveniens, & alia hujusmodi.

Mutationis moralis sunt. Pravi mores, ut crudelitas, æbrietas, scortatio, hære-

hæresis, veneficium, inimicitia capitalis inter Sponsos, aut eorum propinquos &c. Pariter grave damnum obventurum alterutri vel honoris, vel rerum, licet etiam sine culpa: quemadmodum etiam si unus vel uterque jacturam bonorum sustineat, vel parentes Dotem dare nolent Sponsæ, vel Sponsum exhæredare usque ad legitimam minarentur, ex quo non haberent sufficientem causam irritandi prædicta Sponsalia, si prosequeretur in adimplendis eisdem Sponsalibus.

Sit tamen regula generalis, quod ille, qui passus est mutationem, non potest agere de Sponsalibus dissolvendis, sed hoc in potestate superest alterius partis, scilicet vel petere dissolutionem, vel etiam data mutatione stare Sponsalibus, ac novo statui partis mutatæ se accomodare. Cum, ut inquit Pichler *n. 68. in fine Lib. 4. T. 1. de Sponsalibus*: *Jura facultatem resiliendi dederint in favorem partis mutationem non passæ, uti comuniter docent Auctores*.

Hæc inquam regula procedit etiam de superventa contradictione parentum, quæ supponitur semper sine causa; etenim si habuerint justam causam, ea exposita apud Judicem, consequentur sententiam dissolventem Sponsalia. Nam cum hæc contradictio non sit justa causa dissolvendi Sponsalia, & parentes peccent volentes impedire Matrimonium Filiorum, ad quod Filii jus habent. Proinde hæc contradictio non debet nocere alteri parti; sicque erit tantummodo in potestate resiliendi a Sponsalibus illi, qui non patitur hanc parentum contradictionem.

Qui autem patitur, etiam invitis irrationabiliter parentibus tenebitur stare Sponsalibus; etenim si persona minas patiens resilire posset, præberetur ansa instigandi parentes, ut contradicerent, & minarentur exhæredationem usque ad legitimam, & sic dissolvendi pro libito Sponsalia in præjudicium compartis. Ut docet Reinphestuel *n. 270. usque ad 294. Lib. 4. T. eodem*.

10. Occasione expositæ mutationis, quærunt aliqui si, ex. gr. Sponsus, vel Sponsa post Sponsalia ditior evadat, an mutatio hujusmodi præbeat justam causam resiliendi ab eo, qui in pristino statu superfuit?

Omissis Doctorum sententiis nedum diversis, sed fortasse oppositis, ut Urtadi, Amici, Tamburini, Gobat &c. Respondemus, hujusmodi facto diviti non licere ob divitias sibi obventas resilire a Sponsalibus, quia facultas resiliendi datur tantum personæ non mutatæ, non verò illi quæ mutationem subit, ut ex opposito patet in eo, qui Lepra, vel alio morbo corripitur, qui ipse resilire non potest, si alia pars stare velit Sponsalibus.

Confirmatur ex absurdis, quæ sequerentur, nam si posset, qui factus est ditior, resilire, id posse deberet, quia meliores nuptias appetere posset; sed si hoc, toties dari deberet facultas resiliendi, quoties se illi offerret Sponsa ditior prioris hoc autem panderet viam dissolvendi quæcumque Sponsalia; Ergo ne hæc absurda admittantur, pro certo habendum est, factum ditiorem non posse ob id a præcedentibus Sponsalibus resilire.

§. III.

§. III.

Cujus potestate dissolvantur ex datis causis Sponsalia.

EXpositis causis dissolvendorum Sponsalium superest pro complemento, ut quæramus, an habens justam causam resiliendi, ipse possit privato jure resilire nulla interposita Judicis interpellatione?

1. In hac quæstione solvenda non conveniunt Doctores, ut moris est, proinde Pichler, cum Pirhing., & aliis contendit non requiri Auctoritatem Judicis Ecclesiastici, si de causa resiliendi sufficienter constet, quia ex nullo Jure, inquit ipse, probatur necessitas adhibendi dictam Auctoritatem.

Verum si jus positivum spectetur, sententia Pichler omninò falsa apparebit; Etenim *Cap. 7. de Desponsatione Impuberum habetur:* Quod impuberes post Pubertatem adeptam reclamantes, Judicio Ecclesiæ sunt separandi, & tamen facultas resiliendi a Sponsalibus initis in Impubertate concessa post ademptam Pubertatem, est facultas proveniens a jure, quæ nullam videretur exigere ulteriorem Judicis Ecclesiastici sententiam. Quid porrò dicendum erit de cognitione illarum causarum, quæ nondum obtinuerunt hujusmodi juris declaratoriam? Deinde *Can. 1. caus. 33. Quæst. 2. & Cap. 12. de Desponsatione Impuberum, & Cap. 3. de Divortiis* decernunt, non licere sine auctoritate Ecclesiæ recedere a Sponsalibus, neque ob causam certam, & liquidam invaliditatis.

Addi potest repugnantia juris, & æquitatis naturalis, prohibentis, esse posse unum, & eundem Actorem simul, & Judicem in eadem causa; Quinimmò si teste Gobat, *Theolog. experim. Tract. 10. de Sponf. n. 262.* in Diœcesi Constantiensi est casus reservatus dissolutio notoriorum Sponsaliorum propria auctoritate facta, jam supponi debet, ipsam esse Peccatum grave in se, secus non esset materia reservationis. Ergo privata auctoritate, sine peccato gravi, etsi justa sit causa, non potest unus ex Sponsis ab alio invito resilire. Hoc idem docetur, & prohibetur in Rituali Diœcesis Frisingensis teste Reinpheſtuel *n. 208. & 310. lib. 4. h. T.*

Quapropter apparet necessariam esse Judicis Ecclesiastici Sententiam, tum in causæ cognitione, tum in ipsamet Sponsalium dissolutione etiam si dubium non esset de existentia, vel sufficientia causæ, vel scandala non timerentur: pro quibus casibus etiam Pichler necessitatem Auctoritatis Ecclesiasticæ profitetur.

Tandem fatemur in hac materia Sponsalium, non esse omittendam lectionem praxi omninò opportunam sæpius allegatæ eruditissimæ Notificationis quintæ tertii Voluminis Benedicti XIV. In qua docetur modus celebrandi Sponsalia per Scripturam, & Testes, ne subjaceant inutilibus disputationibus, & facilis ipsorum probatio habeatur.

Docetur quoque pro ipsis ineundis non requiri præsentiam Parochi, qui-

quinimmò si volentes Matrimonium contrahere, ad ipsum Parochum accedant, qui separatim ab eo audiendi sunt, eorumque consensus scrutandus: qui Sponsalitius non erit, sed manifestatio propositi de ineundo Matrimonio ut §. 19. ejusdem Notificationis.

Resolutio Sacræ Congregationis Tridentini *in Senogalien. Sponsalium die 30. Martii* 1737. in qua quærebatur an Sponsalia valeant inita cum hac expressione; videlicet:

Io sottoscritta liberamente, e con determinata volontà dò il mio consenso al Sig. Giuseppe Bracchi per i miei Sponsali da seguire con il suddetto Signore in termine di 4. Anni incirca.

Quæ mulier postea alia inivit Sponsalia cum Antonio Leonori, cum quo cupiens procedere ad Matrimonium, habuit opposita priora prætensa Sponsalia. Propterea disputatum fuit, quænam ex istis sustinenda essent, sub hoc dubio. *An, & de quibus Sponsalibus constet, & quæ sint exequenda in casu &c.*

Responsum fuit constare de Sponsalibus cum Leonori, eaque esse exequenda; & amplius.

2. Postremò advertimus Sponsalia non esse necessario præmittenda cuilibet Matrimonio, sed libera esse, quæ si præmittantur, non aliam ob caussam præmitti solent, nisi, ut ea contrahentes se tutos faciant de utriusque constantia animi in futurum Matrimonium celebrandum.

Alia plura habet prædicta Notificatio, quæ universum Tractatum de Sponsalibus respiciunt; propterea ne dicta repetantur consuli ipsa poterit. Et hæc satis sint de Sponsalibus ad laudem Christi Domini, Sanctæ Matris Ecclesiæ nostræ dilectissimi Sponsi.



DE

DE SANCTO MATRIMONII SACRAMENTO PARS SECUNDA

CAPUT PRIMUM.

DE JURIBUS NATURALI, CIVILI, DIVINO, ET CANONICO DISPONENTIBUS CIRCA MATRIMONIJ VEL CONTRACTUM, VEL SACRAMENTUM.



Um Sponſalia ſint via ad Matrimonium ineundum; ipſumque illorum ſit terminus, finis, ac veluti complementum; peracto Sponſaliorum intuitu, ne res debito privetur fine, quæ propria ſunt Matrimonii ſcrutabimur: Nempe quæ ſunt Juris naturalis, quæ Civilis, deinde quæ Juris Divini, ſcilicet de Matrimonii elevatione ad ſtatum Sacramenti. Tandem Canonicas leges, atque ſanctiones recenſebimus, decernentes quando invalidum, aut validum, quando licitum, aut illicitum ſit Matrimonium, & quæ impediant ſolummodo ineundum, quæque dirimant etiam celebratum; poſtremo effectus ac Jura ſimulque onera ab eo producta enumerabimus, quibus in rem quaſi perfectam addemus cujus Divortii ſpecies ex datis cauſis nunc permittatur.

Verum priuſquam operi manum admoveamus, quorumdam clamori eſt reponendum; dolent enim nos longo ſtamine diluendam aggredi Matrimonii materiam, cum noſtro ævo, inquiunt, ſatis eſſet illud, prout eſt Sacramentum, intueri, dimiſſis iis, quæ naturali, ac civili jure dictantur vim nullam inter fideles obtinentia; propterea a Matrimonio prout Sacramentum eſt, exordium duci oportere.

His reſpondemus, nos quoque illorum ſecutos fuiſſe olim ſententiam, ſed cum impoſterum multa oſtenderimus in dubium revocantia rationem Sacramenti pro quolibet valido, ac legitimo Chriſtianorum Matrimonio, ut nonnullorum ſit opinio Theologorum, haberi poſſe inter Fideles verum ac legitimum Matrimonium abſque eo, quod ſit Sacramentum; nobis proinde ſatis muneri ſatisfacere non poſſe viſum eſt, niſi etiam de Matrimonio expendantur, quæ ejus ſint tum ex jure naturæ, tum ex civili.

Quod quidem brevitate maxima præſtabimus, ex iis Juribus ea tantummodo delibantes, quæ proſperum iter ominentur dicendis de Matrimonio ut Sacramentum eſt.

§. I.

§. I.

Matrimonii nomen ejusque derivatio, & definitio:

1. INspecto itaque naturæ Jure Matrimonium est Viri, & Mulieris conjunctio ad liberos procreandos comparata; propterea in hac conjunctione multa a Jure naturæ præcepta sunt, velut conjunctionem hujusmodi esse oportere, a qua nedum liberorum procreatio habeatur, sed & educatio, atque institutio talis, quæ naturam deceat rationalem; esse individuam, esse unius Maris, & Fœminæ, esse perpetuam, esse tandem comunicativam quorumdam Jurium, atque bonorum contrahentibus competentium. *L. 1. §. 3. D. de Just. & Jure*; quorum singulorum naturalis ratio exponi posset hic, nisi de iis deinceps agere oporteret. Ne itaque inutiliter multa repetantur: suis locis indicatam rationem expendemus.

Matrimonii autem nomen, si etymologiam quæramus, a munere Matris præstando venit; cum Matrimonium ordinetur ad Prolis generationem, in qua Matres nimium oneris habent, vel gestando in utero prolem, vel doloribus ennitendo, vel denique lacte nutriendo, aliisque infirmæ ætatis opportunis sollicitudinibus ipsam curando; quæ omnia ita sunt propria Matris, ut ea ab alio in paucis levari queat.

2. Et hæc, quæ sunt Juris naturæ de Matrimonio. Cui novam veluti exteriorem formam addiderunt jus gentium, & civile. Videlicet ut certo ritu celebretur, ut stipulatio intercedat, ut pacta Jure addita serventur, ut solum inter personas ab ipso Jure vel Gentium, vel Civili non prohibitas celebretur. Atque exinde definiverunt Romani Matrimonium, quod sit Maris, & Fœminæ consortium omnis vitæ, & divini, humanique Juris communicatio. *L. 1. D. de Ritu Nuptiar.* Quapropter Matrimonium nomen quoque Consortii, Connubii, Conjugii, atque Nuptiarum civili Jure sortitum est, quibus diversis vocibus, vel contractum Matrimonii, vel ejus effectum, vel denique solemnitatem, ac ritum in ipso celebrando præscriptum denotare Jus ipsum voluit.

Non expedit tamen volenti praxim adire in ritibus, vel Civilis Juris sanctionibus exponendis immorari; cum vel nihil in plurimis conferant; & si quid prosint in expositione Matrimonii prout Sacramentum est suis sedibus collocabuntur. Sed, nunc de Matrimonio, qua Sacramentum est, differemus.

3. Temporis ergo plenitudine facta, qua à Christo Domino Natura humana fuit reparata, & peccatorum vulnera spiritualibus medicaminibus, idest Sacramentis linita, obtinuit etiam Matrimonium, quod & ipsum suis scatebat vulneribus, scilicet concupiscentia, ac libidine, ex originali prodeuntibus, a quibus nimium fœdabatur, ut curaretur; quinimmo ita san-

sanctificaretur, ut magnum significatione Sacramentum S. Paulus appellaverit. Assumpsit itaque Christus Dominus Matrimonialem contractum non ejus immutando, sed perficiendo naturam, atque elevavit ad rationem Sacramenti, dum voluit, ut significaret tum unionem suimetipsius cum anima Justi, tum conjunctionem Divini Verbi cum natura humana assumpta nunquam dissolvendam, tum etiam cum Ecclesia ejus Sponsa, & gratiam, qua contrahentes sanctificarentur, causaret; jusque illis assereret pro consequendis auxiliis in Matrimoniali ferendo onere opportunis. De his gestis perhibent fidem divina Evangeliorum, & Pauli testimonia, atque ipsa Traditio divina, vel in Conciliis OEcumenicis, vel ex ore Romani Pontificis Ecclesiam Universalem docentis manifestata.

Atque hinc Theologi Matrimonium, ut est Sacramentum, descripserunt. *Sacramentum novæ Legis, quo per conjunctionem Maris, & Fœminæ individua habetur vitæ consuetudo significans Christi unionem cum Anima Justi, & Ecclesia, gratiamque divinam tum sanctificantem contrahentes, tum auxiliantem conferens*. Vel pressius Canonistæ, dum illud definiverunt: *Sacramentum, Laicis proprium, quo Vir, & Mulier secundum præcepta Ecclesiæ conjunguntur. C. Sicut 2. C. 32. quæst. 2.* Hæc tamen posterior definitio justo brevior apparet: proinde primam & amplectimur, & explicamus.

4. Ex eo enim, quod Matrimonium sit Sacramentum novæ legis, sequitur illud esse signum sensibile, seu ceremoniam Sacram divinitus, stabiliterque institutam ad veram significandam, ac suscipientibus conferendam sanctitatem.

Esse porro Novæ Legis Sacramentum ex Apostolo *Ephes. 5.* ex divina traditione, & ex Tridentinis Patribus *Sess. 24. c. unico* est definitum. Inquiunt enim: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis Passione promeruit. Quod Paulus inquit, dicens: Viri diligite Uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea: mox subjungens, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Quam porro gratiam præter jus ad auxilia in ferendo Matrimoniali onere conferat Sacramentum Matrimonii, recenset Bellarminus *lib. 1. de Matrim. cap. 5.* inquiens: *Per Matrimonium conferri gratiam, quæ prima, & secunda dici potest. Nam etsi hoc Sacramentum non sit principaliter institutum ad remittenda peccata, ea tamen remittere potest eo modo, quo a Sacramentis Eucharistiæ, Confirmationis, & Ordinis, remittuntur: & siquidem id fiat, erit prima gratia; sin autem erit secunda.*

Neque obstat (pergit idem) *quod continentia sit excellentior Matrimonio. Nam aliud est comparare statum cum statu, aliud statum cum Sacramento: status continentiæ altior est, & perfectior statu Matrimonii, & majoris gratiæ, ac* E meri-

meriti; Sacramentum nihilominus semper auget gratiam, in quocunque statu suscipiatur: Quare continens, dum contrahit Matrimonium, crescit in gratia: sed si idem continens propter Deum nuptias humanas contempsisset, plus gratiæ apud Deum invenisset, quam sit illa, quæ per Sacramentum Matrimonii datur. Hucusque docte, atque erudite Bellarminus in rem hanc Conciliorum, ac Sanctorum Patrum sensum collegit.

Atque hinc patet opinionem Magistri Sententiarum, Durandi, ac nonnullorum Canonistarum negantem ex Sacramento Matrimonii conferri gratiam sanctificantem, omnino reici opportere, cum ut fidei Articulus sit ex Tridentino definitum oppositum. Et relatos Auctores vel benigne exponendos tanquam dubie proponentes oppositum veritati nondum definitæ, vel melius deserendos, quod absque præjudicio rei Catholicę fieri & potest, & debet. Etenim non ex privatorum judicio, sed ex communi Sanctorum Patrum Traditione: Conciliorum Decretis, ac publicis Fidei professionibus ab Ecclesia universa receptis, & approbatis estimari debet veritas Catholici Dogmatis.

§. II.

Diversæ opiniones de materia, & forma, ac Ministro Sacramenti Matrimonii.

1. SEd procedentes in Definitionis expositione, advertimus ideo dici Sacramentum, quo per conjunctionem Maris, & Fœminæ &c. ut per hæc verba indicetur materia tum remota, tum proxima hujus Sacramenti. Quæ tamen non adeo patens spectatur, cum utraque materia in ipsamet conjunctione maritali rationem quandoque & contractus, & Sacramenti totam continente, ita involuta sit, ut eam aperte deprehendere, atque signate indicare nunc husque non valuerint; vel saltem non convenerint Theologi, nihilque in præsenti negotio sit ab Ecclesia definitum teste Tourneli *Tract. de Sacramento Matrim. Quæst. 3.* Quod ipsum, & de ejus evenit forma, ut Melchior Canus *lib. 8. de Locis Theologicis cap. 5.* dicat: *In materia & forma Matrimonii statuenda adeo sunt inconstantes, & varii, adeo incerti, & ambigui* (nempe Theologi, quos prius citaverat scilicer Magistrum D. Thomam, Scotum, Bonaventuram, Palud., Durand. aliosque) *ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate, ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.* Verum tamen, pergit idem Tourneli loco citato, docens: *In tanta opinionum varietate, & dissonantia, salvam semper, & integram permanere hujus Sacramenti veritatem.*

Harum tamen variarum opinionum originem, causamque perquirere si quis voluerit, ex hac quæstione, ut arbitror, prodire noscet: An scilicet Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti totam Matrimonialis contractus naturam; ut eo solo habito juxta naturales ac Civi-

viles leges, inito tamen inter fideles, sit Sacramentum, vel tantummodo elevaverit eundem Matrimonialem contractum ad materiam Sacramenti, non absimili pacto, quo aquam naturalem, ejusque ablutionem in Baptismate, consecratum oleum cum balsamo, ejusque linitionem in Confirmatione, & ita fere de reliquis; ut eidem naturali, ac civili contractui Matrimoniali addere opporteat divinum aliquod ac spirituale signum per quod in Sacramentum una cum ipso divino signo evadat Matrimonialis contractus; quod signum spirituale, quia determinat illam rem elementarem, seu actionem naturalem, vel Civilem, ut sit Sacramenti materia, dicitur forma Sacramentorum.

2. Ab hac inquam quæstione nondum ab Ecclesia soluta, nullique ejus parti fidei dogmate tributo liberum Theologis, ac Canonistis superfuit, & nunc integrum permanet alterutram amplecti sententiam. Quo factum est, ut Itali fere omnes, ac Germanici, quinimmo Ecclesiæ Romanæ praxis, sensusque implicitus primam amplectantur sententiam. Ex opposito Galli Theologi secundam ita suasam habeant, ut eam velint saltem probabiliorem; propterea non est mirum, si statuentes Matrimonialem contractum inter Christianos initum pro Sacramento Matrimonii nulla ulterius addita ceremonia Sacra, ipsi designent pro materia, & forma ejusdem Sacramenti Matrimonii quod est materia, & forma contractus, nempè pro materia juris traditionem in corpora, & pro formà ejusdem juris acceptationem; vel quid non absimile a contrahentibus ponendum, speciem materiæ & formæ contractus Matrimonialis, vel totum ipsum contractum referens; proindeque hujus Sacramenti ministrum non alium esse arbitrentur, quam contrahentes ipsos, quodque sacri ultra ab Ecclesia, ut servetur in eo celebrando, præceptum est, solemnitatis esse, ac decentiæ, non necessitatis, neque ad essentiam Sacramenti pertinere profiteantur; licet enim Ecclesiam velint, posse ita de eo disponere, ut etiam leges ferre valeat irritantes idem Matrimonium, hocque ob ejus elevationem ad esse Sacramenti: de quo ut tali sola Ecclesia privative judicare potest, tamen ejus materiam ac formam, Ministrosque a Christo Domino designatam & institutos mutare nequit, quoties in confesso habeatur contractum Matrimonialem, se solo elevatum fuisse ad totam Sacramenti rationem.

Sicuti neque mirum esse debet, si hujus sententiæ patroni nunquam velint posse disjungi rationem Sacramenti a contractu Matrimoniali valide celebrato inter fideles, cum per ipsos habita validitate contractus, habeatur quidquid requiritur pro Sacramento.

3. Quemadmodum mirum videri non debet, si arbitrantes contractum Matrimonialem elevatum esse tantumodo ad materiam proximam Sacramenti, cui ad habendam substantiam Sacramenti addere oporteat aliquam verborum formam divinitus saltem implicitè, institutam authument

hujus Sacramenti materiam remotam esse contrahentium corpora habilia ad actum conjugalem, proximam autem Juris traditionem, atque acceptationem supra eadem corpora in ordine ad præfatum conjugalem actum; proindeque velint ipsum, eundemque totalem contractum Matrimonialem esse materiam proximam Sacramenti Matrimonii.

Ex qua opinione evincunt. Primo. Matrimonium Infidelium, si postea fidem susceperint, non elevari ad Sacramentum, nisi post susceptam fidem ejusdem Sacramenti formam ab Ecclesiæ ministro postulent, ac recipiant.

Secundo. Ministrum Sacramenti prædicti non alium esse quam Sacerdotem subditos habentem, vel ab eo delegatum, qui pariter sit Sacerdos: hocque plurimis momentis probare tentant, vel ex scripturis, vel ex divina traditione, vel demum ex Sacris Canonibus, Ecclesiasticisque Monumentis.

Tertio. Non omne Matrimonium Fidelium esse Sacramentum; proindeque inter ipsos Fideles censent subsistere posse in mera validi contractus ratione, seclusa Sacramenti substantia, idque evenire posse, inquiunt, vel quia non adfuit Ecclesiæ Minister proferens formam, dum contraxerunt, vel si adfuerit, eam non protulit, vel si protulerit, non tamen ut decuit, vel tandem, quia contrahentes animum non habuerunt Sacramentum celebrandi, vel suscipiendi.

Quarto. Tandem vinculum Matrimonii, etsi firmum profiteantur quod ex mero contractu Matrimoniali nascitur, firmius tamen illud fatentur, si præter rationem contractus habeat etiam illam Sacramenti, quam esse in arbitrio contrahentium affirmant.

Ex his illatis plurima consequentia iterum inferunt, quæ, prout evolutio materiæ postulabit, indicabuntur.

Quod est præsentis intuitus, sapienter monuit Benedictus XIV. in Synodo Diœcesana *Lib. 7. Cap. 28. n. 9.* per hæc verba: *Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus* (retulerat enim supra expositas opiniones, earumque fundamenta) *non animo quemquam inducendi ad unam aut alteram amplectendam, sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnæ auctoritatis Patronos; atque inde non decere discant, ut ipsi Judicis partes assumant, quæstionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed Theologorum disputationi permisit.*

§. III.

§. III.

Prælegitur opinio statuens materiam, & formam legitimi contractus Matrimonialis esse etiam materiam, & formam Sacramenti; propterea ejus Ministrum esse contrahentes.

1. QUapropter nos quoque ejusdem Benedicti XIV. sanctæ memoriæ mandatis, ut par est, obsequentes, nihil de laudatis opinionibus proferemus, quod videatur uni præ altera quidquam deferre: Idque precipuè facimus, quia ratio nobis statuta scilicet praxim adeundi in illis opinionibus immorari non suadet. Quod tamen hortatur est, nos in hac re sensum Theologorum Italorum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplecti opportere, si aliquid utilitatis ex nostro labore Parochos, aliosque Sancto muneri Confessionum excipiendarum deditos consequi peroptemus, vel alios in vinea Domini utcunque operantes; proindeque firma supponimus hæc duo: videlicet contractum legitimum Matrimonii se solo elevarum esse ad rationem Sacramenti. Secundo Ministrum hujus Sacramenti non alium esse, quam ipsos contrahentes: ad quæ duo admittenda ex dicendis omnino cogimur.

Et quo ad primum, videlicet sententiam asserentem contractum Matrimonialem se solo esse elevatum ad rationem Sacramenti, eam solam aptam esse pro Legum Ecclesiasticarum circa Matrimonium condirarum recta intelligentia, atque expositione. Pro cujus rei veritate hoc sit exemplum: Supponatur celebratum Matrimonium coram Ecclesia, & cum omnibus prolatis formis a Sacerdote, ut Galli volunt, subsit tamen impedimentum dirimens, omnimodè contrahentibus ignotum, sitque ex iis quorum manifestatio in detrimentum Famæ alterutrius ex contrahentibus vergat; in qua facti contingentia Ecclesia præcipit, ut ab ipso impedimento obtineatur dispensatio, & pars innocens certioretur de nullitate Matrimonii, non verò ei manifestetur impedimentum prædictum, sed privatim contrahentes sibi ipsis invicem nullo Teste, nullo Sacerdote, dent consensum, ac ineant Matrimonium.

Hoc posito exemplo, quod passim evenit, constat primo Matrimonium hujusmodi fuisse nullum, tum in ratione contractus, tum in ratione Sacramenti: fuisse in quam nullum in ratione contractus, patet ex eo, quod adigantur contrahenres iterum renovare consensum, qui materia est, & forma contractus cujuslibet; Igitur consensus præstitus sub occulto; & ignoto impedimento nullus fuit saltem positivo jure. Ergo, & Matrimonium in ratione contractus. Fuit postea nullum in ratione Sacramenti; tum in sententia Gallorum, tum Italorum, in sententia Gallorum defuit materia Sacramenti, nempe verus validusque contractus: in sententia Italorum nedum materia sed & forma defuit, ex quo defecit ve-

verus contractus Matrimonialis, qui per ipsos se solo est Sacramentum.

Constat secundo per ipsos Gallos Matrimonium nunquam pertingere ad rationem Sacramenti, nisi per formam prolatam a Sacerdote supra validum legitimumque contractum Matrimonialem. Quæ autem forma in allato superius exemplo semper desiderabitur, utpotè illud denuo contrahendum post obtentam dispensationem sine præsentia Sacerdotis, ac Testium. Itaque hujusmodi contrahentes præcepto Ecclesiæ tenerentur inire Matrimonium, quod nunquam esse posset Sacramentum. Ergo ex ipsamet Ecclesia prodiret hoc quod privarentur Sacramento, quod quam sit absurdum nemo est, qui non videat. At si Italorum sententia admittatur, adhuc servatis Ecclesiæ Legibus, initoque prædicto Matrimonio, absque præfata forma extranea a Sacerdote prolata, vel proferenda, superesset verum Sacramentum; proindeque in nullo defraudabuntur contrahentes.

Quod equidem est necessarium consequens sententiæ Italorum. Etenim si sola ratio contractus Matrimonialis sit elevata ad esse Sacramenti, consequens propemodum hoc venit, ut contrahentes sint etiam Ministri Sacramenti. Quinimmò ratio Theologica utrique supposito favens adest, hæcque hujusmodi.

Nam Sacramenta omnia, quia constant materia, & forma, fit, ut per formam materia determinetur ad univoce significandam Gratiam, quam solum analogicè sine forma significasset. Sed in Matrimonio, data hypothesi, quod forma a Sacerdote proferatur, per eam contractus Matrimonialis, qui in tali hypothesi esse deberet materia Sacramenti, non determinaretur ad univoce significandam Gratiam Sacramentalem; etenim sine prædicta forma nedum analogicè, sed etiam univocè significasset: Ergo per prædictam formam non determinaretur materia Sacramenti Matrimonii ad univoce significandam Gratiam Sacramentalem. Subsumo. Sed si prædicta forma prolata a Sacerdote id non valeret, pro vera forma Sacramenti Matrimonii haberi non posset; Ergo forma prolata a Sacerdote non erit forma Sacramenti Matrimonii.

Major per omnes certa. Probatur minor: ut Matrimonialis contractus, prout referens materiam Sacramenti Matrimonii per formam prolatam a Sacerdote determinaretur ad univoce significandam Gratiam Sacramentalem, deberet natura sua esse indeterminatus ad Gratiam Sacramentalem significandam ante accessum formæ, a cujus adventu postea determinetur; sed ante adventum formæ contractus Matrimonialis non est indeterminatus, quinimmò optime determinatus ad significandam Gratiam Sacramentalem, eamque univoce prorsus significat; ergo per adventum formæ non determinatur ad significandam Gratiam Sacramentalem; ergo illa non recognoscit pro sui causa, ne quidem partiali formam a Sacerdote proferendam.

Probatur minor: Gratia Sacramentalis Matrimonii non aliam causam sui uni-

univoce significativam recognoscit, nisi naturalem amorem, & indissolubilem unitatem; sed hæc duo neque in minimo pendent a forma prolata a Sacerdote, sed tantumodo descendunt a legitimo contractu Matrimoniali; Ergo Gratia Sacramentalis pro causa suimetipsius significativa non habet formam Sacerdotis, sed contractum, satis ante additam formam determinatum ad eam univoce significandam.

Probatur major auctoritate Tridentini *Sess.* 24. *Cap. unic.* per hæc verba: *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis Passione promeruit.*

Sed ex laudato textu Gratia Sacramentalis Matrimonii perficit naturalem amorem, confirmat indissolubilem unitatem; Ergo ab his tantumodo univoce significatur.

Probatur minor: Hæc duo supponuntur antè prolationem formæ Sacerdotalis. Nam consequuntur statim ab inito Matrimoniali contractu, cujus sunt effectus necessarii, etiam antequam supra hujusmodi contractum proferatur forma Sacerdotalis, neque hoc præstat pluribus momentis demonstrare; est enim lumine ipso naturæ manifestum; Ergo hæc duo ne in minimo pendent a forma prolata a Sacerdote.

Si itaque Gratia Sacramentalis Matrimonii nullatenus pendere valeat a forma Sacerdotali, clarè deprehenditur eam haberi non posse, ut formam Sacramentalem Matrimonii, proinde eidem Sacramento prorsus extraneam. Si autem extranea hæc forma, aliam prorsus habebit Sacramentum Matrimonii, quæ non alia erit, nisi forma contractus: atque hinc deprehendetur contractum Matrimonialem elevatum esse ad totam integram rationem Sacramenti, non verò ad solam materiam ejusdem.

Quod clarè expressisse videntur Concilii SS. Patres in supra citato capite his præclarissimis verbis: *Cum igitur*, inquiunt, Patres ipsi, *Matrimonium in lege Evangelica veteribus Connubiis per Christum Gratia præstet, meritò inter novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.*

Ex sensu itaque Concilii deprehenditur, Matrimonium in Lege Evangelica solum præstare Connubiis veteribus Gratia per Christum; ideoque inter novæ Legis Sacramenta numerandum; Ergo sola Christi Gratia addita fuit veteribus Connubiis; Ergo vetera illa Connubia facta sunt illud unicum sensibile signum significativum hujusmodi Gratiæ; Ergo facta sunt integrum Sacramentum.

At vetera illa Connubia, ut valida essent, nullam requirebant Sacerdotalem formam; Ergo neque dicendum, quod requirant ex Christi institutione post illis additam Gratiam. Quapropter ex sensu Concilii eruitur formam Sacerdotalem non esse Sacramentalem, sed ceremonialem; proindeque non essentialem Sacramento. Contractum matrimonialem ex Christi institu-

tione elevatum esse ad totam, integramque rationem Sacramenti. Tandem Ministros hujus Sacramenti non alios esse, quam contrahentes.

2. Hæc adjecimus non animo infirmandi oppositam opinionem, sed mere ut palam fiat, nos causam habere amplectendi primam opinionem. Verum prosequentes expositionem definitionis Matrimonii superius allatæ, in ea conspicimus effectum Sacramenti, qui est individua Maris, & Fœminæ consuetudo, significans Christi unionem cum Anima Justi, Verbi Divini cum humanitate, & Christi Domini cum Ecclesia; His verbis manifestatur primo indissolubilitas Matrimonii, quæ ab Evangelista Matth. 19. insinuatur: inquit enim: *Dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*. Et clarius prima ad Corint: inquit Paulus: *Mulier alligata est Legi quanto tempore Vir ejus vivit*. Et Marci 10. *Quod ergo Deus conjunxit Homo non separet*. Manifestatur secundo significatio unionis Christi cum Anima Justi, Verbi Divini cum humanitate, & Christi cum Ecclesia; quam significationem dignatus est Christus Dominus concedere contractui Matrimoniali. Atque ob id illud elevare ad Sacramentum, quod propterea magnum a Paulo vocatur Sacramentum.

A quo tum Gratia sanctificans, tum auxiliatrix in ferendis oneribus Matrimonialibus, aliisque Passionibus moderandis producitur. Non immorabimur in horum demonstratione, constant enim & ex Tridentino *Sess. 24. Cap. unico supra relato, & ex SS. Patribus, a Bellar. congestis*.

3. Ut autem debita methodo procedamus, primo recensebimus tres Matrimonii species, quibus expositis ad personas contrahentes descendemus. Matrimonium itaque aliud est legitimum, aliud ratum, aliud denique consummatum.

4. Legitimum illud est, quod legibus naturæ, ac civilibus est initum, quod tamen, ex laudato Concilii Textu Sacramenti prærogativam non consequitur ob contrahentes infideles, inter quos tantumodo consistere valet sub hac ratione unica contractus naturalis, ac civilis, eo quia dictis tantumodo legibus ii subiiciantur.

Apparet propterea Matrimonium legitimum præscindere a consummato, nam vel sit consummatum, vel non, ratio non est hæc, cur distinguatur a rato, & consummato, sed est illa, quia Sacramentum non est. Ratum verò, & consummatum sunt Sacramentum; proinde hæc duo ab eo discrepant ob hanc Sacramenti rationem.

5. Matrimonium ratum est Sacramentum, & consistit in contractu Matrimoniali inito a Fidelibus, at nondum secuta copula, seu consummato.

6. Consummatum denique est Sacramentum consistens in contractu Matrimoniali inter fideles una cum consummatione.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE PERSONIS HABILIBUS AD CELEBRANDUM MATRIMONII SACRAMENTUM.

HIs positis ad personas contrahentes accedimus exponendas;

§. I.

Quæ sint Jure Naturæ, quæ Civili, quæ demum Canonico?

1. JUre Naturæ constat, unicum Marem, & unicam Fœminam eas tantum esse Personas, quæ invicem Matrimonio jungi possunt: a quo Jure arcentur Parentes cum Filiabus, ac Neptibus, ob sanguinis naturalem reverentiam, quod ex Genes. satis colligitur per illa verba: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ:* Scilicet ut nunquam contrahat cum talibus. Nullo enim tempore Mundi, inquit S. Antoninus *part. 3. T. 1. cap. 2.* licuit, Filium cum Matre, vel Filiam cum Patre contrahere; sed in principio propter paucitatem licuit viro contrahere cum Germana, & in processu temporis per legem Divinam additi sunt quidam gradus, per legem Canonicam alii gradus, & alia impedimenta. Jure quoque naturali arcentur a Matrimonio ineundo Infantes, perpetuo furiosi, amentes, & perfectè ebrii ob defectum Judicii, seu usus rationis, quin etiam per aliquos, & fortasse probabilius, illi qui a nativitate cæci, simul muti, & surdi sunt, quia naturaliter impossibile videtur esse: ut edoceantur de natura, & obligationibus Matrimonii, & etiam quod ipsi signo exteriori certo, atque univoco valeant exprimere consensum Matrimonialem, tandem impuberes ob defectum ætatis, seu potentiæ ad Matrimonium consummandum, quæ potentia esse debet in contrahentibus, dum celebrant Matrimonium, quia in ipso Matrimonio traditur ab una parte alteri Jus plenum in corpus, & vicissim; Ergo corpus requirit expeditam capacitatem exercitii illius Juris, secus non esset jus plenum.

Idem dicatur de senibus, qui licet per legem Juliam Papiam ultra 60. annos prohiberentur a nuptiis, tamen illa correcta *a Lege 27. Cod. de Nupt.* admittuntur, dummodo apti sint perfectam conjugalem copulam explere.

2. Jure, & ipso civili limitabantur eædem Personæ, ut non quilibet Mas, & Fœmina invicem contraherent, sed eæ tantum, quæ vel Parentum consensum obtinerent, vel qualitates haberent ab ipsomet Jure præscriptas, simulque requisitas solemnitates adhiberent.

3. Jure tamen Canonico in multis correctum est jus Civile; proinde solum

lum illæ Personæ aptæ sunt ad contrahendum Matrimonium, quæ ab eodem Canonico Jure non prohibentur.

Verum ut rectius loquamur, quando agitur de Matrimonio Fidelium non est dicendum, quod Jus Canonicum correxerit Jus Civile, sed omnino dicendum, quod illud abrogaverit, quia apud Fideles ex quo Matrimonium obtinuit rationem Sacramenti, effectum est materia improportionata, ac superans quamcunque vim civilium legum; proindeque sanctionum omnium de ipso, vel ejus impedimentis, sive impedientibus sive dirimentibus positio privativè ad Ecclesiam pertinet. Hocque adeo certum, ut nedum ex Sacris Canonibus habeatur, sed ex ipsis legibus Civilibus innotescat, eæque referantur ab Honorato Tourneli, licet in alium, vel etiam oppositum sensum: quæ sunt Caroli Magni, Caroli Calvi, & plurium Enricorum, & tandem Ludovici XIII., & XIV. *in Tom. 11. de Sacramento Matrimonii Fol. 237. Edit. Venet.* tribuentes Ecclesiæ, & Canonibus Sacris jus integrum disponendi de Matrimonio, & ad ipsum pertinentibus, cognitionemque causarum Matrimonii ad Judices Ecclesiasticos remittendam esse decernentes. Quod quidem verum est, non quia Ecclesia allegatarum legum præsidio sibi vindicet jus disponendi de Matrimonio, ejusque attinentibus, sed præsidio divini Juris sibi a Christo asserti in elevatione Matrimonii ad Sacramentum; atque hinc prodiit *Canon. XII. Sess. 24. Tridentini Concilii:* cujus verba sunt: *Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit. Et Can. 4. ejusdem Sess. Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Tandem *Cap. 9. ejusdem Session. de reformatione Matrimonii*, decernit dominos temporales, ac Magistratus Laicos nullum jus habere in spectantibus ad Matrimonium, cum *Cap. 10.* dicant Pàtres Concilii: *Sancta enim res est Matrimonium, & Sanctè tractandum;* proinde a Laica potestate reverenda quidem, sed de ea nihil disponendum. Hocque precipuè confirmatum apparet *in una Macerater. 29. Augusti 1761. Tom. 25. resolut. Sacræ Congregationis Concilii Fol. 232., & 238., in qua pro themate conspicitur erudita Dissertatio Secretarii.*

Itaque si a Jure Canonico desumenda sit habilitas Personarum pro Matrimonio ineundo, hæc melius ab eo colligi nequit, quam per impedimenta Matrimonii ab eodem posita discurrendo usque dum ab iis imunis reperiatur Persona, ut ipsa habilis censeatur. Quapropter de iis agemus suo loco, nunc propius accedentes ad Matrimonium, de ejus causa efficiente, nempe de consensu in præsentiarum dicemus.

§. II.

§. II.

Causa efficiens Matrimonii est consensus.

1. Quoniam verò contractus omnes consensu partium contrahentium perficiuntur, & Matrimonium sit quoque ipsum contractus, consensu proinde contrahentium perficietur. Etenim Matrimonium cum involvat animorum, jurisque simul in corpora conjunctionem, ac pariat vinculum perpetui, atque mutui amoris: hoc concipi nequit sine præcedenti amborum consensu, a quo primo derivet nexus amoris mutui. Quod sapienter Nicolaus expressit *Cap. Presens. Caus.* 20. *Quæst.* 3. inquiens: ***Quod quis non eligit, neque optat, profectò non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit.***

2. Hujus autem consensus necessitas ex eo deducitur, quod dominium corporis unius in alterum transferendum, & contra, nonnisi vel lege cogente, vel ipsum corpus habentis consensu in alterum transferri possit. Nulla autem Lex est, quæ ab invito corporis sui Dominium tollat, atque in alium traducat. Non naturalis, quia homo liber natus est, atque immunis a dominatu. Non Lex Divina positiva, quam nullam Deus condidit. Non Lex humana, sive Civilis, sive Canonica, quæ si foret, excederet potestatem legislativam Hominum; uti facile per Jus Naturale, ac Divinum palam fieri posset; superest ergo, ut solo consensu contrahentium Matrimonium fieri possit, idest tradi dominium corporis in alterum a solo habente ipsum Corpus. Quapropter idem Nicolaus *Caus.* 27. *Quæst.* 2. *sufficiet*, inquit, *solus secundum Leges consensus eorum, qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*, & Alexander Tertius *Tit. de Sponsalib. Cap. Cum locum* testatur *Matrimonium solo consensu contrahi*, qui tamen exponendus est respectivè ad contrahentes. Etenim in reliquis servandæ sunt Leges tum Divinæ, tum Ecclesiasticæ.

Hoc ipsum confirmatum conspicimus in Florentino, & Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de reformatione Matrimonii*.

Non hic immorabimur in scholastica exponenda Quæstione: an Deus pro sua absoluta potestate supplere possit defectui hujus consensus, simulque efficere, ut verum sit Matrimonium, non accedente consensu conjugum. Quidquid enim in alterutram partem referant Theologi, certum est, id nunquam a Deo factum esse: quod si contingeret fieri, illud non futurum Matrimonium, quod contrahentium consensu nunc celebratur, neque Sacramentum; quia non nisi contractus Matrimonialis ad ejus naturam fuit elevatus: sed fortasse esset Matrimonium alterius speciei, quæ species usquemodo non fuit, neque in præsenti ordinaria providentia futura est, ob immutabilitatem Legum Evangelicarum.

§. III.

§. III.

Proprietates hujusmodi consensus recensentur, quarum prima est veritas, omnem tum externam, tum internam simulationem excludens.

1. SEd statim ad proprietates hujusmodi consensus exponendas accedimus. Quarum prima est, ut sit verus non fictus.

Verum consensum dicimus eum esse, qui a reali animi contrahentium determinatione proficiscitur, ac per verba, vel alia signa exteriora manifestatur.

Fictum ex opposito appellamus eum consensum, qui tantumodo apparet in verbis prolatis ab eo, qui non habet animi determinationem, licet ab ipsis verbis, vel signis exterioribus, velut si haberet, manifestatam: His acceptionibus consensus verus ac fictus a Theologis sumitur.

2. Quæstio tamen est inter ipsos: an ad validitatem Matrimonii semper requiratur consensus interior verus, & sincerus, an fictus sufficiat?

Fictum sufficere ex Tourneli loco citato docuere multi post Magistrum, quorum momenta ipse refert, & quatuor numerantur.

3. Primum est consensum Matrimonialem non disparem esse ab aliis consensibus quorumlibet contractuum Ex. Gr. venditionis &c. in quo solus fictus consensus sufficit; nam si eo ipso nulla foret dicta venditio, in qua vendens non consensit interius, posset occulte rem suam accipere, & restituere acceptum pretium ipsi emptori sine peccato contra Justitiam. Etenim per fictum consensum, venditor non transtulisset dominium rei venditæ in emptorem. Hæc absurda sunt, quia contra commune bonum, atque aditum aperientia fraudibus, & disensionibus.

Secundum est, qui facit aliquid liberè ac serio, cui necessario adnexa sit obligatio, ille hujusmodi contrahit obligationem, quantumcumque protestetur animum prorsus habere alienum ab ea contrahenda; esset enim contradictio, & aperta protestatio contra factum. Propterea qui liberè, ac seriò profert verba significantia consensum, eorumque percipit sensum, si conetur excludere intimam animi determinationem, quam illa significant, non aliud videtur ponere, quam contradictionem, & appertam protestationem facto, idest liberæ verborum prolationi contrariam.

Tertium: modus contrahendi inter Homines non aliud exigere potest, nisi quod seriò ac liberè exhibeantur signa consensus, quibus positis statim obligatio nascatur; alias fraus, ac dolus delinquenti patrocinaretur, multaque inde scandala, ac incommoda disensiones, ac rixæ suborirentur; sed per consensum fictum enunciata signa adamussim exibentur; Ergo consensus fictus sufficiet ad parturiendam obligationem; Ergo ad validitatem contractus; Ergo, & Matrimonii.

Quar-

Quartum tandem est, ex quo in sententia Italorum Ministri Sacramenti Matrimonii sint contrahentes, & forma eorundem Ministrorum consensus, qua parte respicit juris alterutrius acceptationem; & ex quo in sententia nonnullorum Theologorum Minister serio adhibens ritum exteriorem Sacramenti, ut Christus instituit, & Ecclesia usurpat, verè conficit Sacramentum absque interiori intentione faciendi rem Sacram; sequitur contrahentes in Matrimonio celebrando, prout Sacramentum est, posse verbis exprimere consensum absque animo interiori, faciendi rem Sacram, scilicet Sacramentum, & tamen haberi oporteret illud Matrimonium, ut validum Sacramentum, licet in eo deficeret internus animus Ministrorum illud faciendi ut Sacramentum; ita haberi deberet ut validum Matrimonium, in ratione contractus, etsi in eo deficeret internus consensus contrahentium; Ergo non requiritur verus internus consensus, sed sufficit fictus pro valore Matrimonii, vel ut contractus est, vel ut Sacramentum.

4. Aliter sentiunt plurimi Theologi, aliterque docet Jus Canonicum, ac ipsa Romana Ecclesia. Sed antequam horum momenta referamus, placet primæ opinionis momenta di uere.

5. Ad Primum respondetur, concedendo pares esse consensus tum Matrimonii, tum aliorum contractuum, neque ex validitate consensus prodire, quod Ex. Gr. in venditione ficto consensu celebrata, non possit venditor, qui ficte consensit, occulte rem suam accipere &c. Etenim si nihil aliud obstaret, revera id posset, & quidem sine peccato contra Justitiam. At obstat Jus Gentium & Civile, quod in pœnam fictè vendentis ab eo rei venditæ Dominium transfert in emptorem; proindeque fictè vendens si tentaret recuperare rem venditam occultè, violaret Justitiam, & Jus emptori datum, non a se ficte vendente, sed ab ipsa Lege. Hoc patet *Instit. Civil. Tit. de rerum dominio acquirendo*.

At in materia Matrimonii, quia hæc superat potestatem legislativam humanam, nec Personæ dispotico Imperio subsunt Principibus, sed solius Dei, hinc apparet Dominium corporis alicujus in alium transferri non posse, nisi consensu idem corpus habentis. Quapropter cum alia via non sit transferendi dominium corporis in alium, nisi per consensum possidentis corpus ipsum, & consensus fictus pro non consensu reputetur, apparet profecto fictè consentientem nullam contrahere obligationem ex eo, sicque non peccare contra Justitiam, si conetur retrahere jus alteri fictè datum supra corpus suum: quod si non peccaverit, liquet illud Matrimonium per hujusmodi consensum fuisse nullum.

Addi ulterius potest, Matrimonium importare non tantum corporum, sed animorum conjunctionem, quæ sine interiori vero, sinceroque consensu non potest intelligi.

Quod porrò attinet ad Magistrum Sententiarum *Lib. 4. dist. 27.* dicentem: *si ver-*

si verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt dicentes: accipio te in Virum, & accipio te in Uxorem, Matrimonium facit, facile huic Respondetur. Primo dicendo sententiarum Magistrum ibi loqui de vehementi præsumptione validitatis Matrimonii. Etenim Ecclesia semper ut validum habebit illud Matrimonium contractum modo superius enunciato, nisi concludenter probaverit fictè contrahens intercessisse fictionem in predicto Matrimonio celebrando.

Secundo etiam verbis Magistri spectatis conspicitur verum interiorem consensum requiri ad valorem Matrimonii. Etenim postquam dixit Magister: *Si verbis explicant, quod tamen corde non volunt*. Subjunxit: *Si non sit coactio ibi, vel dolus*.

At queso qualis consensus fictus haberi unquam possit, qui ex his alterutro careat? Nonnè in eo, qui liber est nedum a coactione absoluta, ac simplici, sed etiam a coactione conditionata, vel mixta, de quibus D. Thomas *Lib. 4. Sent. dist. 29., & 30. Art. 1. in corpore*: dolus propemodum intercedit? Dolus enim est decipere aliquem; at fictè promittens ex animo decipit consortem in contractu; Ergo si Magister excluserit dolum, jam exclusit consensum fictum. Ergo quando dixit: *quod tamen corde non volunt*; exponendus est, quod voluerit indicare eos nolle quosdam Matrimonii effectus, quorum exclusio validitati ejusdem non opponatur.

6. Ad secundum, simulque ad tertium, quorum eadem ratio est, respondetur, modum contrahendi inter homines omninò exigere & animum interiorem, & exhibitionem seriam, ac liberam signorum exteriorum consensus; Nam Homines humano modo agere debent; Ergo tali modo, ut sint domini suorum actuum, eosque communicent. Sed si contrahens non haberet interiorem animum contrahendi, sed solum dolose signa consensus exhiberet parti, jam efficeret, ut pars secum non communicaret in actu humano, nempe in ratione, & voluntate, sed solum in sensitiva, quæ etiam Brutis communis est. Ergo si contractus quilibet debeat esse actus humanus, exigit consensum, nedum in verbis, vel signis manifestatum, sed revera interiorem, idest veram animi contrahentis determinationem; Quapropter negatur, quod modus contrahendi inter Homines non aliud exigere possit, nisi quod contrahentes seriò, & liberè exhibeant signa consensus; nam exigit ulterius verum, ac interiorem consensum, quia exigit actum humanum communicabilem in ratione actus humani. Verum equidem est, quod interior animus parti communicari non potest, nisi involutus verbis, ac signis exterioribus, eo fermè pacto, quo melior pars Hominis, nempe animus solo corpore manifestatur: At miro modo; nam si corpus carens animo signa dederit illum habendi, hujusmodi erunt adeo equivoca, ac simulata, ut facile

cile cognoscatur inanime esse; ita etiam facile deprehendetur, quando consensus exterior spiritu suo, nempe consensu interiori careat. Quod si Ecclesia præsumat validum Matrimonium, si fuerit contractum signis exterioribus liberis indicantibus consensum, sed revera eundem non habentibus, id procedit ex quo semper reputaverit humano modo fuisse exhibitum; neque aliter judicare poterit, quoties de contrahentibus prudentem non habeat suspicionem, eos humano modo se non gessisse in præstando consensu.

7. Ad quartum, prescindendo a sententia asserentium sufficere solam externam intentionem pro validitate Sacramentorum respondetur, adhuc pro validitate Matrimonii requiri interiorem consensum. Res patet, alterutra ex sententiis de intentione Ministri Sacramentorum amplectatur. Nam si sequamur sententiam requirentium intentionem internam, atque eorum, qui contractum Matrimonialem initum inter Fideles volunt esse integrum Sacramentum Matrimonii, manifestè conspicimus, deficiente interiori consensu deficere validum Matrimonii contractum, proindeque, & Sacramentum. Si verò sequamur sententiam admittentium sufficere in Ministro Sacramentorum intentionem externam, etsi fortasse in ratione Sacramenti haberi posset ut validum illud Matrimonium contractum cum consensu tantumodo exteriori, adhuc tamen, quia per ipsos materia hujus Sacramenti esset validus, ac legitimus contractus Matrimonialis, qui talis non erit, nisi interiori consensu constiterit, ut supra vidimus; hinc etiam in horum sententia nullum erit Matrimonium ficto consensu initum.

8. Adducere hic oporteret, quidquid refertur ab exposcentibus pro validitate Matrimonii verum interiorem consensum. Sed hoc egimus in solutione horum momentorum primæ opinionis. Quod tamen addendum videtur, est jus ipsum positivum *ex Cap. Tua nos*, de Sponsalibus omnino requirens pro validitate Matrimonii interiorem consensum: inquit enim. *Si res ita se habuerit, videlicet, quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam Personam, non debet ex illo facto conjugium judicari*. Itaque ex hoc Jure, licet omnia servata sint in illo facto, quæ exteriorem ostenderent consensum, quia tamen non fuit propositum ducendi illam, neque consensus interior, ideò non debet ex illo facto conjugium judicari. Nam propositum est actus mentis statuentis aliquid facere; proindeque actus undequaque interior; Quapropter si ex hujus defectu Pontifex decernit nullum Matrimonium, decernit quoque ad essentiam Matrimonii pertinere consensum interiorem. Neque aliter senserunt S. Bonaventura, & S. Thomas, nam S. Bonaventura *in 4. dist. 27. Quæst. 2.* inquit: *Si sit consensus exterior sine interiori, non est Matrimonium secundum veritatem, nec secundum divinum Judicium, nec secundum Conscientiæ Forum*.

Et

Et S. Thomas eadem dist. *Quæst.* 1. *Art.* 2. ita disserit: *Sicut si quis ablutionem acciperet exteriorem non intendens accipere Sacramentum sed ludum, & dolum facere non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Quinimmo Sacra Congregatio Concil. Trident. definivit nullum esse Matrimonium simulatè initum, *ut Tom. 3. Resolut. Fol.* 140. aperte conspicitur, nempe in Ulixponen. Occidentali *Die Sabbati* 8. *Julii* 1714.

§. IV.

Secunda est perseverantia ejusdem consensus, & quotuplex; quidque operetur.

1. Expedita prima proprietate consensus Matrimonialis, atque comperto illum oportere esse verum, non fictum, ad hoc ut valeat Matrimonium; antequam aliæ exponantur proprietates ejusdem, non abs re videtur, si de ejus perseverantia dicamus; ex ea enim lucidè patefacta plures solventur Quæstiones, ac dubia emergentia in assignandis modis revalidandi Matrimonia nulliter contracta, vel ob defectum consensus, vel ob præcedentia impedimenta dirimentia. Ex Jure Canonico *Cap. Fin. de Proc. in 6.* habetur, consensum datum in quolibet contractu triplicem habere posse perseverantiam, nempe actualem, virtualem, atque habitualem. Hanc triplicem perseverantiam negare non possumus consensui Matrimoniali, ex quo validum, ac legitimum contractum efficiat.

2. Quid porro hujusmodi perseverantia operetur, præstat exponere. Perseverantia actualis, quia in duratione actus mentis approbantis, seu actuali consensu in mente servato consistit, quousque hic habetur, perinde est, ac si de novo consensus exhibeatur; propterea licet videatur præteritus, quoad lapsum temporis, est tamen præsens ob unicam rationis moram ad plura temporis spatia se extendentem; semperque capax se nectendi cum alio futuro consensu partis alterius contrahentis.

Perseverantia virtualis, licet in ea non duret actus, durat tamen effectus ipsius, scilicet præstatio obsequiorum Matrimonialium, hoc enim exhibemus exemplum, quia illud materiæ congruit, efficitque, ut in eo effectu, quasi in virtute consensus servetur, & quidem per quosdam Theologos aptus, ut cum novo alieno consensu nectatur ad validum producendum Matrimonium. Atque hinc iidem Theologi docuerunt, in hypotesi nullitatis Matrimonii ob dirimens impedimentum occultum, quod Matrimonium convalidari debeat per renovationem consensus, & certioranda sit pars innocens de nullitate præcedentis initi Matrimonii, a qua timeatur recessus, pro revalidando prædicto Matrimonio sufficere, si pars conscia impedimenti suum consensum saltem interiorem ponat, ac renovet, illumque uniat affectui Maritali, quo ad partem innocentem accedit, illi-

illique pars innocens eodem Maritali affectu obsequatur, in quo Maritali affectu innocentis obsequentis reo, veluti in effectu perseverat consensus ejusdem innocentis.

Perseverantia tandem habitualis, quæ non in duratione actus, quo consensus producitur, non in duratione effectus, in quo quasi in virtute continetur idem consensus, sed in morali duratione primi consensus consistit, quæ non cessat, nisi per revocationem. *Argum. ex supracit. Cap. Final. de Procur. in 6. Leg. 1. ff. de verborum oblig.* hæcque desumitur ex Juristarum axiomate, *quod semel placuit, semper placere debet.*

Hæc inquam perseverantia habitualis, seu moralis satis consensui tribuit, ut valeat cum posteriori alio adveniente consensu conjungi pro valido stabiliendo contractu, proindeque, & Matrimonio; hujus exemplum habetur in mandante, cujus consensus commissus mandatario nectitur alieno consensui quandoque longo tempore, postquam fuit datus a mandante, ipsoque, tunc, cum nectitur, non advertente, quinimmò dormiente, vel alia agente.

3. Positis itaque his speciebus perseverantiæ consensus sequitur primo, eum qui ficte consensit, vel consensum dedit Juræ Naturæ nullum, supposita actuali perseverantia consensus alterius contrahentis, tantummodo teneri renovare consensum suum pro restaurando Matrimonio. Nam tunc iste consensus novus invenit alienum consensum perseverantem, illique nectitur; proinde ex utraque parte contrahentium habetur consensus existens verus, ac validus pro Matrimonio.

4. Sequitur secundo, perseverantiam virtualem consensus, quia supponit eundem consensum, cujus est perseverantia, fuisse alieno consensui conjunctum, sicque vere, vel apparenter produxisse effectus quosdam, in quibus nunc perseverare dicitur; hanc inquam perseverantiam quandoque sufficere, quandoque non, pro diversitate dispensationum, a quibus tolli debet impedimentum dirimens, si forte præcesserit consensuum conjunctionem (impedimentum scilicet, quod sit Juris positivi: nam de eo, quod sit Juris naturalis, nulla est possibilis dispensatio); etenim si dispensatio non abroget effectus productos in actuali conjunctione consensuum ab impedimento dirimente, tunc virtualis perseverantia consensus non sufficit pro reintegrando Matrimonio, sed novus consensus ex utraque parte requiritur: hocque sensu locutum fuisse Pichler *lib. 4. Tit. 16. n. 53.* dum docuit, nunquam revalidari posse Matrimonium sine novo utriusque consensu, ordinarie loquendo intelligi debet. Si vero dispensatio dictos effectus abroget, tunc sufficiet, ut mox dicemus.

Quod dictum est de perseverantia virtuali consensus, dici potest de perseverantia habituali respective ad illum consensum, qui a parte rei nulliter fuit alieno consensui conjunctus, licet apparenter visus sit valide conjunctus; Non vero respective ad illum consensum, qui nondum alie-

no consensui est conjunctus, uti est ille commissus mandatario: nam hic semper durat aptus tum Jure naturali, tum Jure Ecclesiastico conjungi alieno consensui. Quod si deprehendatur intercedere impedimentum Canonicum inter contrahentes, suspensa præstatione dicti consensus a mandatario, per simplicem dispensationem, seu ablationem impedimenti absque renovatione consensus mandantis validum initur Matrimonium; quia res adhuc integra, & ante conjunctionem consensuum verificatur nullum intercedere inter contrahentes impedimentum, dictusque consensus mandantis semper habitualiter durat in manibus mandatarii, quousque vel mandans illum revocet, vel mandatarius expleat munus suum: *ut de Procurator. in 6. aliaq. Jura firmant.*

5. Verum, ut dicta magis luceant, quædam observari debent circa valorem consensus.

A duplici inquam Jure valor consensus ita pendere potest, a Jure scilicet naturali, & a Jure Ecclesiastico: ut per alterutrius violationem valor consensus profecto tolli videatur, diversimode tamen; nam si consensus opponatur naturali Juri, est ita nullus, ut de eo nihil superfit ab Ecclesiastico Jure vel stabiliendum, vel tollendum. Ex opposito si consensus solo Ecclesiastico Juri opponatur, non est ita nullus, quin suum esse secundum Jus naturæ habitum conservet, impeditum quidem ab eodem Ecclesiastico Jure, ne effectum consequatur; at non omnimodè eliminatum; propterea Jus Ecclesiasticum proprie loquendo non reddit nullum consensum quo ad valorem, seu essentiam, sed annullat quemcunque effectum, quem Jure naturæ producere posset idem consensus; ac veluti appositis impedimentis inter duos consensus de Jure naturæ validos obest, ne iidem valide conjungantur; subest itaque valor consensus Juri naturali tum in esse, tum in operari, ut loquuntur Scholastici; subest porrò idem consensus Juri Ecclesiastico in solo operari. Propterea consensus oppositus naturali Juri in nihilum omnino abit; oppositus vero soli Ecclesiastico Juri retinet suum esse naturale licet impeditum ad producendos suos effectus; hujusque ratio videtur, quia offenso Jure naturæ, natura ipsa periclitatur; offenso Jure positivo periclitatur solum moralis hominum societas.

6. His autem præmissis exponi potest diversitas praxis latarum dispensationum super impedimentis dirimentibus pro Matrimoniis revalidandis.

Nam vel ambo contrahentes præstiterunt consensum Jure naturæ validum, vel unus tantum, vel neuter. Si neuter non est locus revalidationi Matrimonii nisi per novum utriusque consensum, eo quia primi amborum consensus in nihilum prorsus abierunt, nihilque ex iis superfuit moraliter perseverans aptum conjungi cum novo consensu, ut supra advertimus. Si unus tantum, quia hic esse non poterit, nisi ille, qui ignoravit impedimentum dirimens, (etenim qui fuit conscius de impedi-

dimento non potuit ab initio præstare consensum validum Jure naturæ, cum ex animo ac sincere velle non possit, quod videt, aut suasum habet impossibile. Hic inquam ignorans impedimentum, & bona fide procedens consensum exhibendo Jure naturæ validum, etsi nullum quoad effectum validi Matrimonii, utpotè interceptum ab impedimento positivo interjacente ne valide cum alieno conjungatur, ponit tamen consensum, qui in nihilum omninò non abit, sed retinet suum esse ex Jure naturæ concessum, & quidem aptum operari, si removeatur impedimentum, omnisque ejus effectus tunc productus, cum primitus Matrimonium nulliter contractum fuit; quapropter ex parte hujus absolutè ac simpliciter non requiritur renovatio consensus in revalidatione Matrimonii; uti requiritur ex parte illius, qui primitus dedit consensum Jure naturæ nullum; ex quo statim in nihilum abiit, consensus autem solo positivo jure nullus, quia sublato impedimento, ejusque effectibus consensus ille Jure naturæ validus est; superest proinde immunis a quolibet obice; Propterea aptus, ut alteri consensui advenienti conjungatur.

Quæ dicuntur de hoc uno, qui consensum jure naturæ validum præstitit, dici possunt, ac debent de ambobus contrahentibus similiter validum juræ naturæ consensum præstantibus, utpote ignorantibus prædictum dirimens impedimentum Juris Ecclesiastici: scilicet dici debet, quod possit dispensans auferre impedimentum, & abrogare illius productos effectus, atque ita relinquere ambos consensus immunes ab obice, ut ipsi suapte natura conjungantur absque ulla eorundem renovatione.

7. Verum tamen est in arbitrio ipsius dispensantis, duplicem adire viam in dispensationibus concedendis.

Prima est, si simpliciter tollat impedimentum, præscindendo, precesserit nec ne Matrimonium. In qua dispensationis specie semper requiretur renovatio consensus ex utraque parte: non quia deficiat consensus de Jure naturæ validus: vel ex parte unius contrahentium, vel etiam ex utraque parte, sed quia dispensans non abrogavit effectum productum ab impedimento præcedente, qui fuit, ne ii consensus tunc dati, licet jure naturæ validi, inter se conjungerentur. Qui effectus quoties non tollitur, semper afficit prædictos consensus, eosque repellit ab invicem. Ad quem effectum tollendum si dispensans non adverterit, vel si advertit, manifestavit eundem non abrogasse: ut quando apposita est conditio in dispensatione, quod de nullitate prioris consensus pars altera certioretur, colligi potest: jam patet, dispensantem solum tunc reddere habiles contrahentes ad noviter consentiendum, sed nullatenus approbare consensus sub existente impedimento dirimente jam datos; proinde in hypothesi dispensationis hujus speciei, requiri renovationem consensus ex utraque parte. Hæcque est illa vulgaris, ac obvia dispensationis via, quam graditur Sacrum Pœnitentiariæ Tribunal in suis dispensationibus concedendis.

8. Alia via est, tollendi impedimentum, & simul abrogandi effectum productum a prædicto impedimento respective, vel ad unum, vel ad ambos consensus jure naturæ validos, & illum, vel illos restituendi, vel rectius remittendi integre in statum eorum validitatis naturalis, ut nedum inter ipsos non vigeat impedimentum, sed neque verificetur illud fuisse obicem, ne invicem tunc necterentur iidem jam dati consensus; per hanc inquam dispensationis speciem, quia vel unus, vel utrique consensus supponuntur Jure naturæ validi, & per ipsam dispensationem nedum tollitur impedimentum Ecclesiasticum, sed ejus quicunque abrogatur effectus, tanquam si minime præextitisset idem impedimentum; Hinc sequitur Matrimonium convalidari absque novo consensu partis innocentis, vel etiam utriusque, quoties vel unus, vel ambo ignoraverint impedimentum Canonicum; dum primitus sibi ipsis mutuum dederant consensum, licet imposterum certiores facti de præexistentia impedimenti, proindeque de nullitate jam initi Matrimonii; dumodo sub hujusmodi scientia non revocaverint consensum in eo datum, quia tunc per revocationem posteriorem destrueretur permanentia moralis, sive virtualis, sive habitualis dicti consensus, quia tolleretur illius esse naturale; sicque de eo nihil superesset aptum uniri alteri consensui ad unum per se constituendum, nempe Matrimonium.

Hæc porro dispensationis species, quia difficilior, ob supremæ in ea potestatis exercitium, est etiam rarior, causamque postulans gravissimam; & appellatur dispensatio in radice: de qua locutus est sanctæ memoriæ Benedictus XIV. in Decreto causæ Lisbonen. 13. Septembris 1755. nullitatis Matrimonii *Tom. 19. Resolut. S. Congreg. Concil. Trid. Fol. 151. n. 4.* Inquit enim: *Dispensatio in Radice a Romanis Pontificibus concedi consuevit urgente magna causa, & quando agitur de impedimento Matrimonii ortum habente non a Jure Divino, aut naturali, sed a Jure Ecclesiastico, & per eam non fit, ut Matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu producti fuerunt. At quia hæc dispensationis species inventa est pro casu, quo si altera pars certiorari deberet de nullitate Matrimonii, timeretur dissensus, atque recessus; hinc ut valeat, debet semper supponere ignorantiam impedimenti, cum expeditur & exequitur dicta dispensatio in alterutro ex conjugibus.*

9. Ex hac sapientissimi Pontificis locutione habetur primo, dispensationem in radice, ex quo tollat impedimenta solum nascentia non a Jure divino, aut naturali, sed a Jure Ecclesiastico, innuere datos consensus, licet non produxerint Matrimonium validum, conservasse tamen suum esse naturale, seu jure naturæ validum, etsi ab Ecclesiastico impedimento interceptum a sui finis consecutione; secus quomodo verè dici posset,

quod

quod per dictam dispensationem: *effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu producti fuerunt:* nisi tempore dispensationis saltem naturaliter valeant, ac perseverent ii consensus, qui in sensu composito impedimenti Ecclesiastici intercepti fuerunt, ne producerent tunc validum Matrimonium. Etenim effectus tunc producti non aliud fuerunt quam nullitas ipsa Matrimonii, non verò annullatio dictorum consensuum; ergo relicti fuerunt in sua naturali validitate. Ac permanentia, etsi impedita ad producendum effectum; ergo sublato impedimento & ejus effectibus, sua naturali activitate nectuntur invicem, vel melius reperiuntur connexi a momento, quo dati fuerunt, licet dispensatio etiam longo tempore post initum Matrimonium concedatur.

Habetur secundò, finem hujus speciei dispensationis esse in casu prævisi dissensus, aut recessus partis, si certioretur de nullitate præcedentis Matrimonii, convalidationem prædicti Matrimonii absque novo consensu dictæ partis; proinde in facti specie ad validitatem dictæ dispensationis requiri semper ignorantiam impedimenti in alterutro contrahentium.

Quamvis me judice hujusmodi ignorantia non ita requiratur in alterutro contrahentium, ut sit de substantia validitatis ipsius dispensationis, quemadmodum videretur colligi ex verbis: *Ut valeat, debet semper &c.* supra relatis; nam ideo requiritur dicta ignorantia, ne prudens suspicio suboriatur revocationis consensus ante latam dispensationem ab eo, qui timeretur recedendus; sicque quod consensus ille validus Jure naturæ per ejus revocationem, antequam prodeat dispensatio, prorsus in nihilum etiam quoad suum esse abierit. Verum quando moralis certitudo est, prædictum naturalem consensum etiam a sciente impedimentum non fuisse revocatum ante latam dispensationem, quantumvis unus, vel ambo notitiam habuerint impedimenti, tunc, data hujusmodi dispensatione, dicendum videtur, Matrimonium convalidari absque novo vel alterutrius, vel amborum ex contrahentibus consensu: sicuti ex una Pragen. Matrimonii *Tom.* 1. *Resolut. Sacræ Congreg. die* 13. *Julii* 1720. *eadem Pragen. Matrimonii die Sab.* 16. *Januarii* 1723. *ejusd. Cong. Trid. Concil. Fol.* 328., *& Tom.* 2. *Fol.* 258. 355., *&* 369. quasi definitum colligitur, & ratio superius allata suadet.

10. Hæc erant, quæ videbantur dicenda de vero consensu ejusque perseverantia, & effectibus. Nunc de ficto consensu, & obligationibus ficte consentientis.

Verum quia satis supra exposuimus fictum consensum, agentes de vero, non præstat hic repetere superius dicta, sed potius obligationes ficte consentientis recensere.

11. Qui enim ficte consensit, non solum peccavit peccato duplici, scilicet

 sa-

sacrilegii ex sententia docentium rationem Sacramenti inseparabilem esse a contractu Matrimoniali inito inter fideles, & injustitiæ propter gravem deceptionem alterius partis, sed tenetur ponere verum consensum, & ita removere fictionem præcedenter commissam; Ratio est manifesta a virtute Justitiæ commutativæ petita; nam Jus partis innocentis læsum est a ficte consentiente; Ergo ab eodem est reparandum, & quidem in ea specie, in qua læsit; læsit itaque in supponendo fictum consensum pro vero; Ergo tenetur ex Justitia commutativa verum ponere consensum.

Quinque tamen excipiuntur casus, in quibus non tenetur verum exhibere consensum novum, sed alia via reparare debet damna, si quæ parti innocenti sint secuta.

Primus est, si aliud interea Matrimonium contraxit, quia posterius Matrimonium fuit validum; proinde obstat validitati consensus dandi pro restaurando primo Matrimonio.

Secundus est, si deceptus, vel decepta ex indiciis satis claris potuerit advertere fictionem; nam tunc semetipsos decipiunt, non decipiuntur; ergo non læduntur.

Tertius est, si deceptus, vel decepta, & ipsi deceperunt, se ipsos divitem, vel Virginem fingentes, ne fraus delinquenti patrocinetur.

Quartus, si deceptus, vel decepta aliam compensationem sponte recipiat, volenti enim non fit injuria.

Quintus, si gravia scandala vel infelices exitus timeantur ex instaurando putativo Matrimonio: minus enim malum est eligendum.

12. Qui inquam ficte consensit, novum tenetur dare verum consensum; an vero cum ipso renovandus sit consensus innocentis? contra paucos communior cum S. Thoma sententia est, non requiri ob perseverantiam moralem supra expositam consensus dicti innocentis; & firmatur *a cit. Cap. Final. de Procurat. in 6.* Itaque si accedat postmodum consensus alterius, qui prius verè non consenserat, etiam non monita altera parte, habetur consensus mutuus, adeoque sufficiens ad instaurandum Matrimonium; non est enim necesse, utrumque consensum poni simul eodem tempore, sed eadem rationis mora, scilicet, ut alter consensus adveniat primo non revocato: quod clarius patet in similibus de Professione Religiosa simulate emissa, ac postmodum restaurata *ex Cap. 11. de Regul. Cap. 1. eod. in 6. Trid. sess. 25. Cap. 19. de Regular.*

13. Sicuti porro non requiritur renovatio consensus ex parte innocentis; ita non requiritur ex parte ponentis verum consensum loco, ac vice consensus ficti jam præstiti, quod illum exprimat verbis, vel factis, nisi prius divulgasset suum præcedentem fictum consensum; eo quia in ficto præcedente consensu signa exteriora univoca veri consensus reperiebantur, quæ unita novo interiori vero consensui satis præstare possunt,

ſunt; ut partem innocentem moraliter certam, ac tutam reddant de valide inito Matrimonio; & conſenſus poſterior validus per præcedentia ſigna ſatis ſuperſit manifeſtatus.

Neque dicant partem verè conſentientem ſuum dediſſe conſenſum conditionatum, nempe ſi pars altera etiam ſtatim conſentiat; ſi enim ſciret alteram partem non conſentire ſtatim vere, & ſibi viciſſim dare jus immediate in corpus ſuum, nec ipſa conſentiret, aut traderet illi Jus in corpus proprium: itaque neutra pars conſenſit vere; Ergo utriuſque requiritur conſenſus, & quidem ex utraque parte expreſſus, & manifeſtus; quemadmodum requiritur in reſtauratione Matrimonii nulli ex impedimento dirimente, etſi minus ſit nullum eſſe Matrimonium ex impedimento dirimente, quam ex defectu conſenſus.

Nam Reſpondetur, eum, qui vere conſenſit, non conditionate, ſed abſolute conſenſiſſe; non abſimili ratione, qua abſolute conſenſit ille, qui per errorem putat, quam ducit, eſſe Virginem, divitem, nobilem &c. quamvis non conſenſiſſet, ſi ſciviſſet; ita etiam non conditionate, ſed abſolute cenſetur conſentire, qui putat alteram partem mox conſentire, & viciſſim immediatè dare Jus in corpus, licet non conſenſiſſet, ſi fictionem ſciviſſet. Et paritas de nullitate Matrimonii ex impedimento dirimente nullius ſit momenti, tum quia non ſemper requiritur renovatio conſenſus in reſtauratione Matrimonii nulli ob impedimentum juris poſitivi diſpenſatum, ſed pro diverſitate ſpeciei ejuſdem diſpenſationis, prout ſupra notavimus. Tum quia conſenſus vere conſentientis, eſt naturaliter validus, & conſenſus ficte conſentientis eſt naturaliter nullus; proinde hic nunquam capax reſtaurationis; propterea primus moraliter perſeverans eſt capax conjungi alteri impoſterum advenienti, reſque ex dictis apertiſſima.

Statim poſtea ac admittatur, ſufficere ſolam renovationem conſenſus ex parte ficte conſentientis, fit manifeſtum ſufficere etiam ſolam interioris conſenſus renovationem ex parte ejuſdem ficte conſentientis abſque ulla exteriori manifeſtatione aut ſigno; nam dato, quod pars vere conſentiens ne ſuſpicetur quidem de veritate conſenſus ficte conſentientis, inutilis, quin imò ludicra apud ipſum vere conſentientem foret quæcunque expreſſio prædicti conſenſus facta noviter ab eo, qui prius ficte conſenſit; Ergo non neceſſaria; etſi non deſint Theologi ſcrupuloſe eam requirentes, quos citat Pichler *de Mat. lib.* 4. *T.* 1. §. 1. *n.* 89. de his non plura.

§. V.

Tertia est manifestatio veri consensus per verba, aut signa.

1. Verum qualitates consensus veri prosequentes in hanc offendimus; quæ est, ut verbis, vel signis exterioribus manifestetur; adeo enim est necessaria hujusmodi qualitas consensui Matrimoniali, ut sine ipsa nec esset contractus humanus, nec Sacramentum; nam sine signis exterioribus, ac sensibilibus non perficiuntur humani contractus, neque Sacramenta subsistunt; proinde Jure id cautum est *ex Cap. 25. hoc Tit. & Cap. 3. de Sponf. Duor.* nosque satis diximus superius de Sponsalibus.

2. Præstat hic potius adnotare, quæ verba, vel signa valeant verum consensum manifestare: sit generalis regula, ea sola, & omnia illa verba valere, vel si loquamur de mutis omnes, & soli nutus illi exteriores, quæ vel qui a circumstantibus sumuntur tanquam univoce significantia, vel significantes prædictum verum consensum; proinde summopere attendi debet mos loquendi illius regionis, in qua exprimitur consensus verbis; nutus vero, quia tales sunt, ut cuique communes esse debeant, quia motus naturæ sunt rationalis, hæc ubique eadem; a quolibet propterea percipiuntur, cujusvis regionis sit, poteStque judicare an significare valeant verum consensum, vel non.

Quod in hac re scitu dignum videtur, est sensus Sacræ Congregationis Concil. Trid. approbantis sequentes verborum formas. *Consentina, seu Bisinianen. Matrimonii Die Sabbati 15. Aprilis* 1762. quarum Prima est. *Mi affido a questo. Mi affido a questa*: attento regionis usu Matrimonium declaratur validum.

Secunda. *Questo è mio Marito, questa è mia Moglie*: pariter declaratur validum. *Tom. 16. F. 45.*

Tertia est. *Questa è mia Moglie, e questo sarà mio Marito*: declaratur validum. *Ferrarien. Matrimonii die Sabbati 12. Decembris 1761. Tom. 25. F. 285., & Tom. 26. F. 1. eadem Ferrarien. reproposita die 16. Januarii* 1762.

Quarta est: *Io voglio per mia legittima Sposa la N.*, & ipsa dicat. *Io confermo lo stesso. Tom. 26. F. 238. & 246. Camarinen., seu Fabrianen. Matrimonii Die Sabbati 21. Augusti* 1762.

3. Sunt & aliæ verborum formulæ, inter quas ea Ritualis Romani; omnes equidem admissæ, dumodo univoce significent prædictum consensum: ad quem exprimendum Ecclesia solicita est, ne obscure, vel ambigue id fiat, licet nulla verba determinet aut consecret, quibus uti debeant contrahentes.

Neque ex hoc quidquam absurdi sequitur, etsi dicamus formam hujus Sacramenti in iis verbis, aut nutibus consensum exprimentibus, saltem qua

qua parte Juris in corpus acceptationem denotat, consistere, ex quo ulla verba non fuerint a Christo Domino consecrata, vel ab Ecclesia designata, ut factum est in reliquis Sacramentis; Nam posita sententia, quæ rationabilior visa est supra, quod contractus Matrimonialis fuerit elevatus ad totam, ac integram rationem Sacramenti, jam res postulat, ut forma contractus ea sit, & Sacramenti; quemadmodum postea forma contractus non expetit determinatam formam verborum, aut nutuum pro sua validitate, ita neque Matrimonium prout Sacramentum est. Hancque verborum, aut nutuum libertatem a Christo Domino concessam fuisse Ecclesiæ, & contrahentibus satis deprehenditur ex eo, quod elevando Matrimonium ad rationem Sacramenti naturam, ac rationem contractus Matrimonialis non immutaverit; ut liquet *ex Trid. cit. sess. 24. Cap. unic.*

4. Est itaque consensus manifestandus verbis, vel signis exterioribus, ac sensibilibus; verum quæstio suboritur: an semper a contrahentibus, vel etiam ab aliis fieri possit.

Olim opinio erat, posse Parentes pro Filiis præsentibus, & tacentibus consentire, vel rectius Filiorum consensum manifestare; quæ tamen nunc temporis prorsus reicitur. In re enim tanta, qualis est electio Status perpetui, requiritur consensus Personalis aliquo signo certo ab ipso contrahente, vel eligente expressus. Nam cum Parentes pro filiis præsentibus, mereque tacentibus sine speciali mandato contrahunt, non exprimunt consensum personalem Filiorum signo aliquo certo, ac determinato; tacere enim, non est affirmare, aut negare: *qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur. Ex Cap. 44. de Regul. Jur. in 6. & Trid. de Reform. Matrim. sess. 24. Cap. 1.* præcipit contrahentes ipsos interrogari oportere a Parocho, ac ab ipsis illorum expressum consensum expeti; quod servari nequiret, si Parentes pro Filiis præsentibus ac tacentibus exprimere possent eorumdem Filiorum consensum. Resque adeo clara, ut per Sacram Tridentini Concil. Congregationem sæpius fuerit definita.

Quod porrò nunc temporis viget, est consensum prædictum exprimi posse coram Parocho, vel a Mandatario, vel ab interprete, non autem per Literas, ut satis advertimus de Sponsalibus per Mandatarios initis §. *Neque obest per easdem non posse contrahi Matrimonium &c.* qui vel unius, vel etiam utriusque contrahentis consensum exprimat: horum est manifesta ratio. Nam primo a nullo inficitur Matrimonium per Procuratorem iniri posse, tum ob Juris assistentiam *ex Cap. Final. de Procurator. in 6.*, tum ob praxim ab Ecclesia tolleratam, quæ pro Sacramento admittit Matrimonium per Procuratorem celebratum.

Qui tamen Procurator, ut valide procuratorio nomine contrahat, debet habere mandatum, a mandante continens nomen ejusdem Procuratoris, seu

ſeu Mandatarii, & nomen Perſonæ, cum qua contrahere debet Matrimonium, ut definitum eſt in Neapolitana Matrimonii *Die Sabbati* 7. *Julii* 1736. *Tom.* 7. *R. S. C. Trid. Fol.* 252. inquiens ipſa: *Matrimonium initum cum Mandato Folei in Albo ſubſcripti a Mandante, non continentis nomen Perſonæ, cum qua contraheretur, nullum declaratur:* debet ſimiliter perſeverare conſenſus mandantis verus, ac interior uſque ad initum Matrimonium per eundem Procuratorem, definiente eadem Sac. Cong. *Tom.* 4. *Fol.* 15. & 81. quod: *Matrimonium per Procuratorem initum, revocato mandato, licet de revocatione non conſtet Procuratori, eſt nullum.*

Secundo, quia non alia eſt via efficiendi verba contrahentium in tali hypotheſi ſignificantia apud Parochum, & Teſtes, niſi ope interpretis; hinc delato interpreti Juramento de autentica translatione verborum a contrahentibus prolatorum, per ipſum ſatis manifeſtatur ipſorum conſenſus; & precipue: ſi comuni conſenſione, & voluntate fuerit electus, ut appoſitè docet Maſcat *lib.* 4. *Tit.* 1. *de Sponſal. & Matrim. n.* 39.

§. VI.

Quarta eſt libertas.

1. Eſt & alia prerogativa conſenſus partim Jure Gentium, partim Eccleſiaſtico volita, ſcilicet, quod conſenſus ſit liber, ideſt immunis tum a coactione, tum a metu injuſte incuſſo: dixi Jure Gentium, nam ratio naturalis poſtulat perfectam libertatem in contrahendo Matrimonio, tum quia homines naſcuntur liberi, tum quia tanti eſt momenti vinculum Matrimoniale ob onera, & perpetuitatem ſibi connexa, ut primitus convenerint Parentes primi hoc ſtatuentes, ne adigerentur ad ineunda inviſa Matrimonia eorum poſteri, ex quibus infelices prodirent exitus.

Dixi Jure Canonico, quod patet. *Cap.* 14. 29. *hoc Tit.*

Dixi tandem a metu injuſte incuſſo, nam ſi fuerit Juſte incuſſus, quemadmodum de Sponſalibus agentes vidimus, validitati non obſtat, latiuſque videbimus de impedimento metus.

2. Quod tamen hic ſpectari poteſt, eſt, metum quemcumque Jure naturæ non obſtare validitati Matrimonii; non enim ceſſat, quin ſit voluntarius, ille conſenſus, ad quem quis metu adigitur, quamvis poſitivo Jure reprobetur.

§. VII.

§. VII.

Quinta, & sexta sunt contrahentium mutua, & simultanea exhibitio, & acceptatio consensus.

1. HÆc pariter alia qualitas non est despicienda, quod scilicet consensus sit mutuus, seu reciprocus; in quolibet enim contractu duorum, vel plurium requiritur consensus in idem placitum, hocque Jure naturæ: Ergo, cum sit contractus Matrimonium, quia consensus est ejus causa, debet proinde esse mutuus, seu reciprocus; hocque sancitum est *in Cap. 1. de Sponsa duorum.*

Ennumeratur etiam hæc qualitas, videlicet, quod sit simultaneus, non quidem phisicè, sed moraliter; debent enim ambo contrahentium consensus invicem conjungi, ut perficiatur contractus; quoniam vero contractus est ens morale, sola propterea coexistentia consensuum moralis sufficiet. Latitudo porro hujus coexistentiæ tanta est, quantum est spatium temporis a positione consensus, usque ad ejus retractationem; quapropter nisi retractetur, semper censetur moraliter perseverare. *Ideo*, inquit, Mascat *cit. lib.* 4. *Tit.* 1. *de Sporsal. & Matrim. n.* 39. *debet esse: Simultaneus saltem moraliter, ne interim tempore intermedio ab uno revocetur*; revocatio itaque consensus illa sola est, quæ moralem tollit ejusdem perseverantiam ex sensu citati Mascat. Superest tandem ultima qualitas dicti consensus evolvenda, estque, quod sit absolutus: quæ qualitas licet ab Ecclesia semper desideretur, non ita tamen exposcitur, quin ea ex data causa admittat valida Matrimonia sub honesta, ac possibili conditione celebrata: *Ex Cap.* 3. 5. *h. T. & Regul.* 50. *in* 6. *elucet.* Propterea



CAPUT

CAPUT TERTIUM.

DE CONDITIONIBUS APPONIBILIBUS CONSENSUI MATRIMONIALI.

QUæ autem sint conditiones, quas Ecclesia apponi permittit consensui Matrimoniali; exposita conditionum serie, indicabuntur.

Oportunum tamen hic esset, recolere dicta de conditionibus in Sponsalibus, per quæ viteretur inutilis repetitio. Verum quia claritati consulere oportet, quam sine horum præsentia consequi vix possumus; propterea de conditionibus tum universim, tum singillatim, agemus.

§. I.

Conditionis definitio, ejusque in multiplices species divisio.

1. COnditio ergo universim accepta est affectio orationis suspendens, vel resolvens contractum, ejusque obligationem: si sermo sit de conditione extrinsecus manifestata: si de interna sermo habeatur, dicere oportet, quod sit affectio determinationis voluntatis suspendens, vel resolvens contractum, ejusque obligationem; ita Malchat *de conditionibus appositis in Despon. lib.* 4. *Tit.* 5. cum quo convenit Pichler *eisdem lib. & Tit. sin verbis saltem sensu*, nam & ipse cum Barbosa eam definit; quod sit *qualitas actui, vel contractui adjecta in dubium eventum suspendens obligationem ejus, aut resolvens. In Rub. hoc Tit. n.* 2. quod autem peculiariter notat Pichler in posteriori data definitione est, conditionem proprie talem non dari de præterito, vel de præsenti, ut *L.* 11. *D. de condit. Institut. & L.* 100. *D. de Verb. obgli.* sed tantum de futuro, & quidem contingenti, non necessario, vel impossibili §. 6. *Institut. L.* 7. 8. *D. de Verb. oblig. quia*, ut inquit, *conditio, nisi sit resolutiva, est talis qualitas, quæ suspendit actum, vel contractum, vel quamcumque dispositionem in futurum, si aliquid actum, vel non factum fuerit, a quo pendere suum actum, vel dispositionem vult disponens; itaut, si non evenerit, seu conditio illa impleta, sive purificata non fuerit, nolit se obligatum.*

2. Conditiones itaque de præterito, vel præsenti, de necessario, vel impossibili, quia non sunt conditiones, nisi impropriæ, ac latiori significatione sumptæ, bræviter hic notabuntur, transituri statim ad veras, ac proprie tales exponendas.

Conditio autem de præterito est. E. G. duco Te, si Pater tuus consensum dedit. De præsenti est. E. G. duco Te, si virgo es, si nobilis &c.

Conditiones porro impossibiles, & necessariæ, etsi quandoque sint de futuro, ut E. G. duco Te, si sol cras non orietur, vel duco Te, si sol cras orie-

orietur, quia vero eæ sunt circa id, quod aliter se habere non potest; equiparantur conditionibus de præterito, atque præsenti. *L. 9. D. de Novat. §. 11. Inst. de inutil. &c.* Quæ cum non suspendant negotium, vel actum, ideo non sunt proprie dictæ conditiones: nam iis non obstantibus, vel statim perfectum est negotium, & absolutè obligat, si ex iis adjecta conditio subsistat: sin minus, imperfectum superest negotium, neque obligat, neque unquam obligabit; resque naturam dictarum conditionum consideranti patebit. Contra verò est natura conditionum proprie talium, suspendendi scilicet negotium in eventum futurum incertum. *Cap. 5. h. T. L. 1. D. de Condition. & Demonstr.* de quibus nunc.

3. Conditiones igitur proprie tales nedum esse debent de futuro, sed etiam possibiles (ut supra notavimus) propterea aliis partitionibus omissis, eas primo tribuemus in conditiones casuales, & potestativas.

4. Casuales sunt, si earum eventus pendeat ex voluntate tertii, vel ex causa a contrahente distincta, ut E. G. duco Te, si pax inter Principes sancietur.

5. Potestativæ sunt, si earum eventus ex voluntate illius, cum quo contrahis, vel a Te pendeat, ut duco Te, si Catholicam fidem profitearis.

6. Secundo eas partiemur in tacitas, & expressas: tacitæ, quæ actui insunt, licet non exprimantur, & eæ, vel ex natura rei, ut dono tibi fructus agri mei. Si nascantur, vel ex Juris dispositione, ut duco Te, nisi sis mihi consanguinea, vel legatum mihi debetur, si hæres adierit hæreditatem.

Expressæ, quæ actui expressis verbis apponuntur, ut duco Te, si Pater tuus consenserit.

7. Tertio in intrinsecas, & extrinsecas: quæ sunt intrinsecæ, eæ cuilibet contractui, vel actui insunt: ut hæc, si vixero, si Deo placuerit &c. Quæ sunt extrinsecæ, eæ pro libertate apponentis adjiciuntur contractui, vel actui, qui sine ipsis eque posset subsistere.

8. Quarto demum in honestas, turpes, & indifferentes: conditio honesta illa est, quam decet apponere, ex quo respiciat media licita, & finem rectum. Ut E. G. duco Te, si Pater tuus consentiet.

9. Conditio turpis ea est, quam dedecet, quod apponatur, eaque in ordine ad Matrimonium duplex est; alia contra substantiam, vel bona Matrimonii, alia non contra dictam substantiam ac bona ejusmodi.

Quæ est contra substantiam, ac bona Matrimonii, est vel contra individuam vitæ societatem, vel contra generationem, aut educationem prolis, vel contra fidem conjugalem, ut contraho tecum, si renuncies juribus Matrimonialibus, si per poculum sterilitatis prolem impeditura sis &c.

Quæ non est contra prædicta bona, ac substantiam, est hujusmodi E. G. duco Te, si hæresim sis amplexura &c.

10. Con-

10. Conditio tandem indifferens est ea, cujus appositio non vergit in decus, vel utile, neque in dedecus, seu damnum Matrimonii, aut eam apponentis: hæcque potius præsefert non satis determinatum apponentis animum circa consensum prædictæ conditioni alligatum; proinde vix meretur inter conditiones proprie tales recenseri.

§. II.

Quid operentur conditiones adjectæ consensui Matrimoniali.

1. NOn alias conditionum species adducemus, quia non admodum utiles, etsi quædam sint, in expositis saltem implicite sint involutæ. Juvat hic potius expendere, quid ipsę, si adjiciantur Matrimonio, operentur.

2. Et primo quoad conditiones improprias, nempe de præterito, de presenti, de impossibili, de necessario, attinet, est, quod illæ adjectæ Matrimonio, illius validitatem nullatenus suspendunt, sed statim in absolutum transit; proinde aut valet ut absolutum in sui exordio, vel est omnino nullum. Hoc liquet *ex Cap. Fin. h. T., & ex Jure Civili* §. 10. *Instit. de Hæred. Instituendo Lege 3. & 6. D. de condition., & demonstrationibus*. Nec præstat rationem addere; Nam hujusmodi conditiones tempore ineundi Matrimonii sunt jam purificatæ; etenim quæ necessariæ sunt, aut impossibiles, quod ad earum eventum, aut certo futurum, aut nunquam futurum, equiparantur iis de præterito, & præsenti, ut ex allegatis Juribus compertum est; igitur sicuti non suspendunt valorem Matrimonii in ratione absoluti conditiones de præterito, & presenti, ita neque conditiones necessariæ, aut impossibiles. *Qui sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, pure videtur stipulari l. 9.* §. 1. *ff. De novat.*
Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. §. 6. *Instit. de Verb. Oblig.* Nisi tamen, ut aliqui limitant, qui eas apponunt, arbitrentur esse contingentes: in qua hypothesi, non quidem suspenderent ab exordio valorem absolutum Matrimonii, sed contrahentes ipsos afficerent, ut quasi in eventum incertum futurum expectare tenerentur illarum purificationem, donec usque eas deprehenderent vel necessarias, vel impossibiles.

3. Quod autem spectat ad conditiones propriè dictas Ecclesia statuit, ut conditiones turpes, proinde de Jure impossibiles, adnexæ Matrimonio, si adversentur substantiæ, & bonis Matrimonii, illud omninò vitient, nullumque reddant; si verò turpes quidem sint, at minime adversantes substantiæ, ac bonis Matrimonii, ita ipsæ vitientur, & ab inito Matrimonio rejiciantur, ut haberi debeant tanquam non appositæ, nihilque perentur: hoc definitum habetur *Cap. Fin. h. T.* Ratio autem pri-

primi est, quia spectato jure naturali nulla res subsistit sine suis substantialibus. E. G. non subsistit commodatum, aut mutuum conditione adjecta, aut pacto, ne Commodatarius habeat jus utendi re commodata, aut mutuatarius fiat Dominus rei mutuò acceptæ; ita non subsistit Matrimonium, cui apponatur conditio substantiæ, & bonis ejus contraria. Si tamen hujusmodi conditio ab uno contrahente adjiciatur, ab altero autem constanti animo rejiciatur, valet Matrimonium, quia qui apposuit conditionem alteri contradicenti aquiescens, censetur a conditione recedere. *Cap. Si aliquando 32. q. 2.* Quinimmò celeberrimus Fagnanus *De Condit. Appos. Cap. Si Conditiones n. 3. 4. 5. docet.* „ Non vitiari Matri-
„ monium per appositionem conditionis turpis adversantis substantialibus
„ bonis Matrimonii, si fiat ab uno contrahente, & alter taceat, quia,
„ inquit, censetur hic tacens contradicere favore Matrimonii, ut *Cap. Ter*
„ *tuas*; etenim quando unus tantum intendit detrahere, & alius non ex-
„ primit, & descendunt postea ad actum, qui mutuo consensu perficitur,
„ Matrimonium scilicet consumando, ex quo utraque pars non consentit
„ turpitudini contra substantiam actus, censentur recedere a turpi condi-
„ tione; propterea hic notat idem Fagn. monendas esse mulieres, ut
„ quando Viri ad eas alliciendas ostendunt, se velle cum eis Matrimo-
„ nium contrahere, & apponunt aliquas conditiones contra substantiam Ma-
„ trimonii, taceant, nihil respondeant; nam secuta copula erit Matrimo-
„ nium. „ Hæc Fagnanus. Utrum vero dicta sint vera, & amplecti debeant, praxique sint consona, non adeo apparet perspicuum; etenim si revera consensus adjicientis turpem conditionem alligatus fuerit eidem conditioni, ut mox dicemus, Matrimonium inde secutum valore profecto nutabit, sed in exponenda ratione secundi patebit magis.

Ratio autem secundi est, quia Ecclesia reprobans dictas conditiones nititur præsumptione facti, quod scilicet contrahens eam conditionem adjiciat nugatorie sine animo alterum obligandi; semper enim Ecclesia præsumit id, quod honestum est, excluditque peccatum; proinde non serio adjectam conditionem, quæ ad peccatum invitet; propterea illam habet pro non adjecta in Matrimonio: quemadmodum & in ultimis voluntatibus habet Jus Civile *l. 15. D. de condition. Instit.* Si tamen veritati præsumptio cedat, ut conditio turpis animo serio adjecta fuerit, in foro conscientiæ suspendit valorem Matrimonii, donec impleatur, quia consensus apponentis conditionem superest eidem conditioni vere alligatus; ut etiam eveniret in foro externo, si ex circumstantiis appareret conditionem turpem serio fuisse adjectam.

4. Quod porro ad conditiones honestas spectat; est eas apponi licere Matrimonio *ex Cap. 3. 5. h. T.* Etenim Sponsalia, & Matrimonium sequuntur naturam aliorum contractuum; Ergo iniri possunt sub conditione, nisi specialiter conditio talis reprobetur a Jure.

5. Quæ

5. Quæ conditiones honestæ, possunt esse vel proprie tales, nempe in futurum contingens eventum, adeoque suspendentes valorem Matrimonii, ejusque obligationem, donec purificentur, vel improprie tales, quales sunt de præterito, aut præsenti, quæ nullatenus suspendunt valorem, & obligationem Matrimonii, ex quo nihil in futurum expectent purificandum.

Ex utrisque exempla dabimus, easque referemus, quæ prima facie videntur honestæ, revera tamen non sunt tales, ne contrahentes decepti per harum appositionem arbitrentur validum inire Matrimonium, quod nullum contrahant.

Exemplum honestarum sit: *Contraho tecum, si Pater tuus consentiet: si officium mihi impetraveris.*

6. Sub his enim, vel similibus conditionibus valet initum Matrimonium; non quidem absolutè ante conditionis eventum, sed ea impleta statim valet absolute, etiamsi hujusmodi impletio ignoretur a contrahentibus; proinde novus post impletam conditionem non requiritur consensus ad illius Matrimonii valorem, tum in ratione contractus, tum in ratione Sacramenti; ut satis colligitur *ex Cap. 3. 5. & fin. h. T.* & ex ipsa ratione ostendente, par esse Matrimonium conditionatum aliis contractibus sub conditione proprie dicta, seu de futuro contingente, honesta, & extrinseca celebratis; qui post impletam conditionem pro eorum validitate absoluta non postulant renovationem consensus. *l. 11. D. Qui potior in pignore. l. 7. D. de contrah. Empt.*

Et quamvis plurimi docuerint, scilicet S. Thomas, S. Bonaventura, ac recentiores nonnulli Theologi, renovationem consensus requiri post impletam conditionem, ut Matrimonium consequatur valorem absolutum; tamen quia consensus in Matrimonium, de præsenti positus, ac in eventum conditionis relatus moraliter perseverat, sicut in eo, qui illud contrahit per Procuratorem, usque dum eveniat conditio, ideo novus consensus non requiritur adimpleta conditione, ut valorem absolutum sortiatur Matrimonium prædictum conditionatum: idque patet tum ex Juribus supra allegatis, tum ex approbatione decisionis Sacræ Congregat. Concil. Trid. facta & a S. Pio V., & a Clem. VIII. summis Pontificibus relata a Fagnano *in Cap. Super eo 5. num. 5. 6. h. T.* quorum alter ex relatis summis Pontificibus, nempe Clemens VIII. post aprobatam prædictam decisionem, ita in hac causa, inquit Fagnanus, responderi mandavit: „ Verum noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire, „ sed omnes, qui acciderint in futurum, cum suis circumstantiis esse „ specialiter considerandos.

§. III.

§. III.

Quid operentur modi, & unde eorum discrimen a conditionibus.

1. SEd de appositis conditionibus, vel apponendis non plura: quia tamen Matrimonialis consensus alia affectione, seu proprietate indui potest, quæ modus dicitur, de hoc propterea brevissimè notabilia recensebimus.

2. Modus itaque, prout a conditione distinctus, est illa animi affectio adjuncta consensui, ex qua tollitur consensus a stato absoluto, & alligatur eidem affectioni appositæ; hicque duplex distinguitur, in modum antonomasticè dictum, qui exprimitur per particulam *ut* & in causalem, qui exprimitur per particulam *quia*: utriusque modi exempla sint, primi nempe *duco Te, ut officium mihi impetres*, secundi, *duco Te, quia nobilis, quia dives &c.*

3. Ad præcavendas tamen ambages notare liceat, quandoque sub modi expressione contineri conditiones, vel contra; quod deprehendetur ex circumstantiis, vel aliis verbis connexis appositioni modi; etenim, ut diximus de Sponsalibus, in hoc tantum differt modus a conditione, quod modus actum non suspendat, & obliget statim partem, cui onus imponitur, ut modum impleat. *Cap. 4. hoc Tit.* Conditio autem suspendat actum, solamque obligationem inducat expectandi *ejus* futuram purificationem. Verum quia modum apponens velle potest, ut prius impleatur modus, anteaquam valeat actus; & tunc modus transfertur in conditionem; quia ly *ut*, qua particula exprimitur modus, idem valet, ac significat, quod valet, ac significat particula *si*. Quod si contrahens velit primo valere modum, antequam valeat actus, quamvis exprimat hunc modum per particulam *si*: nihilominus hic non erit modus antonomasticè talis, & a conditione distinctus, sed erit mera conditio. Quando porrò contrahens velit primo valere actum, postquam adimpleatur modus, vel contra, circumstantiæ personæ contrahentis antecedentium, & consequentium, & præsertim verborum, quæ precipuè signa sunt ejus animi, ac voluntatis interioris, regulam præstare poterunt, illud investigandi.

Cum ergo modus pro conditione, & contra usurpari possit, quæ leges datæ sunt pro conditionibus, eædem pro modo omnino valent, quando modus naturam induit conditionis; si verò propriam servaverit naturam, ac distinctionem a conditione, quoniam & ipse partitur in tot species, in quot conditio ipsa, nempe in modum de præterito, de præsenti, de futuro, de impossibili, de turpi, & de honesto, per singulos procedemus, investigantes, num in horum quolibet, vel saltem in quo valeat Matrimonium, vel non?

4. Et primo, quod dictum est de conditionibus de præterito, & præsenti, idem dicatur de modo tum de præterito, tum de præsenti; cum non suspendant actum conditiones prædictæ, propterea modo æquiparentur.

5. Secundo, si modus in futurum respiciat, hicque sit impossibilis, vel rei natura, vel facto, vel jure; adjectus consensui Matrimoniali nullam inducit obligationem in eo, cui offertur Matrimonium sub tali modo *Arg. Cap. Fin. hoc Tit.* Minus porrò modus hic vitiat Matrimonium, cum illud vitiare nequeant conditiones impossibiles. Ratio tamen, quare nullam inducere valeat obligationem, est, quia ad impossibile nemo tenetur, juxta tritum axioma, & quod impossibile percipitur, illud serio, & ex animo intendi ac præcipi non potest. Et quamvis modus impossibilis, quemadmodum conditiones impossibiles, non vitiet Matrimonium, id tamen non præstat ob eam rationem, qua conditiones impossibiles; nam modus ideo non vitiat Matrimonium, quia natura sua sequitur actum, proinde supponit semper validitatem sibi præcedentem Matrimonii, cui adnexus est; Conditiones verò ideo non vitiant Matrimonium, quia ex Juris præsumptione non censentur appositæ animo serio; cæterum si præsumptio cederet veritati, & ex animo essent appositæ, illud profecto vitiarent, quia ipsæ præcedunt actum, atque illum suspendunt, ne sortiatur suum complementum, quod modus efficere nequit, cum præcedatur ab actu jam completo, ut satis jam diximus.

6. Tertio, si modus Matrimoniali consensui adjectus, fuerit turpis, & etiam contrarius substantiæ, & bonis Matrimonii, quia de jure impossibilis, ut est quidquid a Jure prohibitum, nullam parit obligationem; idque patet ex momentis, quibus demonstratum est, modum impossibilem nullam posse inducere obligationem. Num vero hic modus adjectus Matrimoniali consensui eundem efficiat nullum, ut inde vitiet Matrimonium, vel potius a Matrimonio vitietur modus iste, idest valeat Matrimonium, & modus adjectus habeatur tamquam non adjectus? disputant Canonistæ.

Pichler *lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 15. Arbitratur vitiari Matrimonium ab hujusmodi modo, parem eum considerando conditionibus turpibus, atque adversantibus bonis Matrimonii, suam roborans opinionem *ex arg. C. Fin. cit. L.* 14. §. 1. *ff. de usu, & habit.*: cujus rationem petit ex eo, quod sub tali modo contrahens per unum indivisibilem actum se obligare intendit ad Matrimonium, & simul ad eversivum Matrimonii, quod cum repugnet, censetur ex animo non se obligare, sed jocose; propterea ita afficere consensum Matrimonialem per illius modi adjectionem, ut idem consensus in nihilum abeat.

Maschat verò eodem *lib.* 4. *tit.* 5. *de conditionib. appositis in desponsatione n.* 23. Ut generalem Legem statuens, quod modus causa, & demonstratio per se non suspendunt, vel vitiant Matrimonium, censet per adjectio-

jectionem modi turpis, & etiam contrarii substantialibus bonis Matrimonii non vitiari prædictum consensum Matrimonialem; Hoc colligens *ex L. 1. & sequent. C. De donat. sub modo*; & ex axiomate, *Legis 35. ff. de condit. & demonstr.* quod est *falsa demonstratio non vitiat actum*, in quo axiòmate licet sola demonstratio exprimatur, quilibet tamen alius modus propriè talis continetur; Nam promiscue in citata Lege sumitur modus, causa, & demonstratio.

Rationem porro hanc reddit, scilicet modum impossibilem, aut turpem, vel contrarium substantiæ Matrimonii haberi pro non adjecto, quia, inquit, *nulla est obligatio ad impossibile, & turpe, vel contrarium Matrimonio jam in se contracto*. Et me Judice appositè addit idem Maschat *Matrimonio jam in se contracto*, nam modus, causa, & demonstratio validitatem actus præsupponunt, cui ipsæ adnectuntur; propterea nedum probabile, sed prorsus certum spectatur, modum quemcumque proprie talem, nempe modum antonomasticè sumptum, causam, & demonstrationem, cujusvis fuerint speciei, vel honestæ, vel impossibilis, vel turpis, vel etiam adversantis substantiæ Matrimonii, illud vitiare non posse: & hinc liquet sententiam Maschat omnino esse præferendam opinioni Pichlerii, cujus allegatæ Leges, & ratio nullius sunt momenti. Nam Leges, ut ipse fatetur, disponunt tantumodo de conditionibus, non vero de modis propriè talibus, neque ad eos applicari possunt, nisi cum modi lata significatione sumantur, nempe prout synonima conditionum, de quibus nulla tunc foret disputatio.

Et sicut ratio ejusdem Pichlerii hisce legibus nititur, & ipsa sub eadem æquivocatione procedit, nempe modum a conditione non secernit; proinde quod dispositum est de conditione, illud procedere oportere etiam de modo, quod quam falsum sit, ex dictis non est qui non deprehendat.

Quam æquivocationem & ipse Maschat prævidens eodem citato numero inquit. „ Dixi per se, nam per accidens vitiari potest Matrimonium, „ vel ejus valor suspendi. Primo si modus induat naturam conditionis, „ itaut contrahens nolit valere contractum, nisi existat modus, quod ex „ mente contrahentium colligendum erit. Secundo si causa, vel demon- „ stratio involvat errorem substantialem personæ, vel status, vel servitu- „ tis, seu induat naturam condirionis assumptæ per modum substantiæ, „ uti E. G. *Duco Te, quia mille pro Dote dabis* „ quæ causalitas ex mente adjicientis resolvi debet, vel saltem potest in hanc, *duco Te, si mille pro dote dederis*, quoties signa dederit, vel antecedentia verba protulerit adjiciens modum, ex quibus deprehendatur adjectum modum in conditionem resolvi: ex qua Maschati caurione apparet, modum quandoque sumi pro conditione, & tunc Pichlerii opinionem veram esse. Sed quando in proprietate sermonis modus sumitur, tunc prorsus falsa deprehenditur opinio Pichlerii; proinde vera Maschati.

 7. Di-

7. Dictorum occasione exemplum unius adjecti modi Matrimonio refert idem Maschat, qui cum inter vulgares non sit, & de quo dubitare liceat, num Matrimonio adjici possit, & nos illud ipsum exemplum describemus. „ Estque Matrimonium contractum cum pacto, seu modo Mor„ ganatice. Morganaticum autem Matrimonium, quod etiam Matrimo„ nium conscientiæ dicitur, est conjunctio viri cum Fœmina inferioris „ conditionis secundum SS. Canones ratha: eo tamen pacto, ut uxor, & „ liberi contenti sint certa portione nuptiali, & a ceteris bonis avitis, & „ paternis, dignitatibus, titulis, ac insignibus abstineant. Portio ista alen„ dæ uxori, & liberis destinata vocatur Morgengaba, quasi donum ma„ tutinum, & corruptè Morganatica; ex quo nomen trahit Matrimonium „ Morganaticum *lib.* 2. *feud. tit.* 29. hucusque Maschat„ qui prossequens, fatetur hunc modum adjectum non inficere Matrimonium, aut illicitum reddere, sed verè obligationem parere, ut observetur, eique obediatur; cum Matrimonium, hoc pacto, seu modo initum non sit contra jus naturale, nec divinum, nec Ecclesiasticum; proinde celebratum cum reliquis Concilii Tridentini solemnitatibus substantialibus non est, quin validum haberi debeat; neque pactum hujusmodi, seu modus talis est, ut vel impossibilis, vel turpis haberi queat, sed prorsus honestus est, ex quo Maritus caveat periculum incontinentiæ, & liberis prioris Matrimonii non præjudicet bonorum divisione facienda cum liberis posterioris Matrimonii, decorem servet familiæ, atque splendorem.

Uxor verò in nullo Matrimoniali jure lædatur, sed tantum in Jure Civili, quo ipsa decernitur particeps bonorum Mariti, ut similiter sunt filii respectu patris; cui juri absque culpa cedere potest ipsa uxor tum pro se, tum pro suis gignendis liberis; itaque nihil est, quod inhonestum, vel turpem decernat hujusmodi modum; propterea si adjiciatur Matrimonio, obligationem inducet suæ observantiæ: quod confimatur exemplo Patriarcharum, qui contraxerunt, cum concubinis, seu secundariis uxoribus, quarum filii non succedebant patri, ut patet in Matrimonio Abrahæ cum Agar ancilla, cujus filius Ismael ejectus est a possessione, & hæreditate. *Gen.* 21. *vers.* 10.

8. Quod tamen in hac materia notatu dignum videtur est, Constitutio Benedicti XIV. 17. Novembris 1741. circa Matrimonia contrahenda, quæ vocantur conscientiæ, in qua præcipitur. „ Primo, ut hujusmodi Ma„ trimonia contrahenda cum denunciationum dispensatione celebrentur „ coram Parocho alterius ex contrahentibus: nec sine gravi causa adhi„ beatur alius Sacerdos, & tunc a solo Episcopo deputandus. Secundo, „ ut documenta sic celebrati Matrimonii statim a Parocho, vel alio Sa„ cerdote, ut supra, deputato ad Episcopum transmittantur, transcribantur„ que in libro distincto ab altero, in quo adnotantur Matrimonia publi„ cè contracta, in Episcopali Cancellaria Sigillis obsignato asservando, &

„ nun-

„ nunquam aperiendo, nisi de licentia Episcopi: documenta autem a „ Parocho transmissa, vel Sacerdote, qui illius vices gessit, serventur in „ secretiori loco penes ipsum Episcopum. Tertio ut proles inde suscepta „ baptizetur in Ecclesia, in qua aliis baptismus indistinctè confertur; de„ nuntieturque Episcopo intra triginta dies a nativitate dictæ prolis nume„ randos, vel per parentes, vel per litteras eorum caractere exaratas, „ vel per aliam personam, ab ipsis designatam; ac ejusdem prolis, & „ utriusque parentis vera nomina in libro adnotentur distincto ab altero „ Matrimoniorum, eodem modo, quo hic, custodiendo. Quarto ut conju„ ges aperte moneantur a Parocho, vel Sacerdote, ut supra deputando „ harum binarum conditionum adimplendarum pacto eis permitti secreti „ Matrimonii celebrationem sub pœna evulgationis Matrimonii per Epis„ copum faciendæ, licet hoc contractum non sit, data per eundem Epis„ copum secreti fide. „

Hoc inquam censuimus notatu dignum circa Matrimonia Morganatica; cum in nostris regionibus, si aliquod celebretur, non aliud sit, quam Matrimonium conscientiæ: pro quo celebrando valide, ac licitè enunciatas superius leges vulgavit Benedictus XIV., quas hic duximus opportunè recolendas.

9. Quemadmodum & in complementum sermonis conditionum apponendarum Matrimonio monemus cum Maschat citato loco num. 24. sub fine, inquiente, *quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa, & demonstratione, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie vero curabit Parochus, ut Matrimonia purè contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima:* quinimmò si casus contingat, ut necessario apponi debeat conditio, vel modus, non nisi de licentia Ordinarii assistet Parochus: quoties urgens causa non postulet, ut sine mora celebretur Matrimonium; in qua facti contingentia certiorem postea faciet Episcopum de Matrimonio sub tali conditione, vel modo celebrato; idque propter Tridentini sanctiones universim statuentes Matrimonia celebrari oportere, absolutè, & purè, quibuscumque rejectis conditionibus; unde si urgens causa postulet, ut apponatur conditio, hæc cognosci debet, ac decerni ab ipsa Ecclesia, nempe summo Pontifice jure ordinario, & ab Episcopis, ut Sedis Apostolicæ delegatis.

Verum tamen est, posse contingere, quod celebrari debeat Matrimonium sub conditione absque eo, quod de eadem conditione moneatur Episcopus: & esset, quando Parochus ex confessione Sacramentali contrahentium depræhenderet, esse inter ipsos impedimentum dirimens juris positivi, nullumque esset prudens effugium evitandi rixas, scandala, atque homicidia, quæ sequerentur Matrimonio non celebrato; in hac enim facti contingentia non aliter celebrari posset Matrimonium, nisi sub conditione, si Papa dispensaverit, hæc inquam conditio utpote nota

per forum Sacramentale Pœnitentiæ ad Episcopum defferri non posset.

10. Et quamvis nonnulli dubitaverint, num valeat Matrimonium sub hac conditione initum, tamen maturè perpensa re, certum omnino apparet; etenim licet Matrimonium sit Sacramentum, est tamen contractus, propterea contractuum legibus moderari potest; unde si reliqui contractus sub conditione iniri queant, ita & Matrimonium; neque constat Christum Dominum elevando contractum Matrimonialem ad Sacramentum rejecisse ab eo honestas conditiones, apponi solitas reliquis contractibus; propterea modo adsit justa causa dispensandi, & impedimentum regulariter sit dispensabile, non est, cur dicatur, non posse contrahi Matrimonium inter vinctos impedimento dirimente occulto non manifestabili sine infamia cum hac conditione, si Papa dispensaverit; cujus ratio peti potest ex principio generali: quia actus tempori inhabili gestus, si referatur in tempus habile, valet, dumodo habilitas facile, & communiter obtineri possit. *L. 62. ff. de Hæredib. Instit. L. 59. ff. de condit. & demonst. L. 5. de reb. dubiis*. Atque exemplis confirmari potest, uti in Episcopo vovente religionem, si Papa indulserit, in Renunciante beneficium cum reservatione pensionis, si Papa remiserit, in Vendente Fæudum, si Dominus consenserit: atque ita sæpius Sacram Rotam deffinivisse nempe quod Matrimonium sub hujusmodi conditione celebratum sit validum, testatur idem Maschat *de conditionibus appositis in desponsatione num.* 11.

11. At dicet aliquis, celebrari nequeunt Sponsalia sub hac conditione; quinimmò, si celebrentur, sunt nulla; Ergo minus celebrari poterit Matrimonium, &, si sub hujusmodi conditione celebretur, nullum erit.

Antecedens constat ex una *Januen.* 12. *Decembris* 1733. *Sponsalium*, quam & nos de Sponsalibus retulimus; consequentia est manifesta, ex quo tantam non subierint moderationem Sponsalia, quantam a Canonico jure passim est Matrimonium: & tamen Sponsalia in hoc fuerunt moderata, quod valere non possent sub hac conditione inita, si Papa dispensaverit, quoties celebrentur ab iis vinctis impedimento quocumque, quanto magis censendum est moderatum Matrimonium ipsum, ut nullatenus valeat sub hujusmodi conditione celebratum?

Huic tamen responderi potest, latam esse disparitatem inter Sponsalia, & Matrimonium; nam, cum Sponsalia sint promissio futuri Matrimonii, & tempore, quo illa celebrantur, illicitum, aut invalidum sit contrahentibus Matrimonium, apparet eo tempore, quo celebrantur Sponsalia, eo tempore non posse producere ullam obligationem; ex quo objectum, ad quod ducerent hæc Sponsalia, esset vel illicitum, vel invalidum, & juris axioma sit, promissio de re illicita, promissio nulla. Neque urgeat quis per appositionem conditionis, ex illicito fieri licitum, & de invalido fieri validum objectum, ad quod tendunt Sponsalia, cum illa


con-

conditio transferat ad tempus habile, nempe post obtentam dispensationem prædicta Sponsalia; nam hoc omnino falsum; etenim, si id præstarent Sponsalia, deberent in eorum exordio aliquam producere obligationem, nempe saltem expectandi purificationem conditionis; atqui hanc producere nequeunt; Ergo censeri non possunt valida sub hac conditione.

Probatur minor: si hanc producerent obligationem, non alia de causa eam producerent, nisi quia respicerent ut ultimatum objectum Matrimonium suo tempore celebrandum; atqui Matrimonium celebrandum, est contrahentibus nunc illicitum, seu invalidum; Ergo si quam obligationem producerent prædicta Sponsalia, induceret hęc ad Matrimonium, & quidem ante obtentam dispensationem; Ergo induceret ad quid illicitum; si autem hoc, nullam producere possunt obligationem prædicta Sponsalia. Exemplis illustrari potest, recensendo promissiones factas in aliis materiis sub conditione purificationis illicitudinis objecti, ad quod respiciunt, quæ nullam pariunt obligationem; propterea nullæ reputantur hujusmodi obligationes; quorum primum exemplum sit, promissio facta a Patrono beneficii nondum vacantis alicui, scilicet de eo presentando ad idem beneficium, quando vacaverit, vel si vacaverit intra tale determinatum tempus, quæ promissio, etsi firmata scriptura, vel juramento, nullam parit obligationem; propterea omnino est nulla, ut habetur *ex Cap. 2. 3. 11. 13. hoc Tit. & Cap. 2. eodem in sex. ex reg. Cancel. 21. 31. & præsertim ex Trid. Sess. 24. Cap. 19. de Reformatione cum Concordatis Germaniæ*. Ratio autem, quare sit nulla hujusmodi promissio, non alia est, nisi hæc, quia quo tempore illa fit, ejus objectum est illicitum; neque refert, quod dicatur transferri in tempus habile; nam ab ejus celebratione usque ad tempus habile deberet remanere suspensa, ut de ea dici posset, quod simul obligaret, & non obligaret, quod prorsus absurdum est: deberet inquam, de ea dici, quod obligaret, nempe ad expectandum eventum purificationis conditionis, quæ purificatio conditionis est de re illicita, quia de vulnere legis; propterea hujusmodi promissio haberet objectum illicitum; Ergo ex hoc capite obligaret, & non obligaret postea, quia id cautum est in Jure; sicque obligaret simul, atque non obligaret; proinde addita juramenta non confirmant, sed in nihilum abeunt, utpote accessoria actus nullius roboris.

Matrimonium autem, si justa de causa celebretur sub conditione, *si Papa dispensaverit*, etsi statim non sortiatur suum complementum, tamen aliquid validitatis sui consequitur; nam consequitur consensum suum jure naturæ validum, & solum impeditum, ne producat effectus suos a jure positivo impeditos; quapropter per solam abrogationem ejusdem juris positivi, seu relaxationem factam a supremo Principe, sive Pontifice ita completur, atque perficitur consensus ille Matrimonialis, ut nihil

ultra ponendum a contrahentibus postulet, quod non evenit in Sponsalibus, in quibus post obtentam dispensationem aliquid est ponendum a contrahentibus; & hinc disparitas conspicitur inter Sponsalia, & Matrimonium: sicuti ergo tempore, quo celebrantur Sponsalia, est illis illicitum Matrimonium, eo tempore nullam producere possunt obligationem ad Matrimonium contrahendum, quam præcipuam producere deberent; deinde neque postea secundariam, nempe procurandi dispensationem ad tollenda impedimenta, quia hæc esset de vulnere Legi infligendo; propterea de re illicita. Matrimonium vero ex opposito producit aliquam obligationem tempore eodem, quo celebratur, licet sub conditione dispensationis obtinendæ celebretur. Nam tunc producit obligationem ex jure naturali ortam, quatenus jure naturali fuit validus consensus Matrimonialis, & solum a jure positivo impeditus, ne plenarium suum effectum sortiretur: quæ naturalis validitas latum præbet discrimen inter ipsum Matrimonium, & Sponsalia; quoniam hæc nihil validitatis ex jure naturali habent in eorum exordio, ut satis superius diximus. Alia adduci possent exempla nullitatis promissionum, quoties illæ tendant ad illicitum, sed quia obviæ, & ad manus cujusque sunt, missas facimus, rati opportunius, ut procedamus ad evolvenda impedimenta Matrimonii, ex quorum expositione, quæ Personæ sint jure habiles ad incunda Matrimonia deprehendetur.



CAPUT

CAPUT QUARTUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

QUoniam duplicis generis sunt impedimenta Matrimonii, impedientia nempè tantummodo, & alia dirimentia Matrimonium ipsum, de primis dicemus priori loco, de secundis imposterum.

§. I.

Impedientia olim erant septem, nunc verò numero minora, nempe quatuor; quibus, & aliud addi debet; quæ singula exponuntur.

1. DE impedimentis itaque merè impedientibus agentes, primo advertimus, ex iis plurima esse sublata per oppositam generalem consuetudinem introductam: hæcque nonnulla crimina erant, alterutro quorum perpetrato impediebatur committens, ne imposterum Matrimonium contraheret.

Hæcque erant, primo malitiosa susceptio propriæ prolis ex Sacro Fonte, vel confirmatione, animo privandi alterum conjugem debito conjugali. Hic ergo levans post mortem conjugis non poterat ad alias nuptias transire *Can.* 5. *Caus.* 30. *quæst.* 1.

Secundo, præsbytericidium *Cap.* 2. *de Pœnis*.

Tertio, solemnis Pœnitentia *Can.* 16. *C.* 33. *q.* 2.

Quarto, Matrimonium cum Moniali scienter attentatum *Can.* 13. *Caus.* 27. *q.* 1.

Quinto, uxoricidium privata auctoritate patratum *Can.* 5. *& sequent. Caus.* 33. *& q.* 2. cum uxoricida non sit dignus aliam Uxorem habere, qui primam occidit, etsi eam in adulterio deprehensam occiderit *Can.* 6. 9. *ibidem*; quæ juris dispositio se extendebat etiam ad Uxorem occidentem Maritum *Cap.* 1. *de Divortiis*. Similiter quoque se extendebat ad Patrem occidentem Filiam in stupro deprehensam, vel occidentem ex sævitia quoscumque Filios *Cap.* 1. *de his, qui Fil. occid.*

Sexto, Raptus alienæ Sponsæ, ne Raptor cum ulla alia contrahere posset. *Can.* 34. *Statutum*. *Cas.* 27. *q.* 2.

Septimo, incestus cum consanguinea suæ uxoris, & contra, quo prohibebantur, ne possent inire Matrimonium cum quacumque alia persona, defuncto conjuge innocente. *Cap.* 12. *de desponſ. Inpub.*

Quamvis autem recensita impedimenta non vigeant, quia abrogata per genericam consuetudinem contrariam legitime introductam, ut docent plurimi apud Mafchat *Lib.* 4. *tit.* 16. *in calce*. Et Cabasut. *jur. Can. Theor. Lib.* 3. *C.* 21. *n.* 9. Tamen ea duximus notanda, ne Canonicas Leges volvens errore capiatur, putans nunc quoque eadem vigere.

2. Quæ

2. Quæ autem impedimenta impedientia nostro ævo vigent, jam communiter quatuor recensentur, nempe Ecclesiæ vetitum, tempus feriatum, Sponsalia, votum. De his singulis singillatim.

3. Monemus tamen, preter illa quatuor alterum esse, & contrahi ab eo, qui scienter ducit in uxorem propinquam sanguinis; nam præter nullitatem Matrimonii, redditur inhabilis, donec vixerit ad contrahendum cum quacumque *Can. Qui propinquam* 4. *Caus.* 35. *q.* 2. 3.
„ Quod si vellet contrahere, inquit Maschat, *Elench.* 1. *Decretal. lib.* 2.
„ *tit.* 23. *n.* 22. indigeret dispensatione ex Decretis Congreg. Concilii re-
„ latis in Luceorien. Nullitatis Matrimonii 7. Septembris 1720. Cui acce-
„ dit stylus Datariæ, quæ in dispensationibus Matrimonialibus pro ince-
„ stuosis consanguineis apponit semper clausulam = quod alter alteri su-
„ pervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat. = Et novissime in
„ Salernitana Matrimonii 17. Novembris 1708. Sacra Tridentini Congre-
„ gatio *Tom.* 9. *part.* 2. *Fol.* 64. Contrahentem scienter cum consanguinea
„ inter gradus &c. definit inhabilem ad contrahendum cum aliis, confir-
„ mavit die 11. Januarii 1710. „ De quo impedimento cum nihil sit notatu dignum, nisi ut mente servetur, illud propterea præmisimus ad reliquorum expositionem, quorum primum sit

VOTUM SIMPLEX CASTITATIS.

4. ORdine enim inverso ab enumeratis impedimentis expositionis ortum duximus, moti ab eorum gravitate, ac præstantia in postremis præcellente.

Votum, inquam simplex castitatis, seu continentiæ subsequens Matrimonium ita impedit, ut illicite post ipsum contrahatur *Cap.* 4. 6. *H. T.* idem dici debet de Voto ingrediendæ religionis, de Voto non nubendi &c. nititur autem naturali jure hoc impedimentum; Nam res uni promissa, nequit licite alteri dari; vovens enim per votum continentiæ promittit Deo corpus suum ab omni actu venereo etiam licito custodiendum; Ergo nequit licite idem corpus, seu jus in idem corpus alteri dare quoad usum venereorum: id autem, quod dicitur de voto simplici castitatis, dicatur de Voto ingrediendi Religionem, suscipiendi Sacros Ordines, vel non nubendi; cum hæc omnia Vota idem habeant objectum ultimatum, quod habet simplex votum castitatis, scilicet ducendi in honorem Dei vitam cælibem.

5. Quoniam vero hujusmodi Votum potest esse emissum ante celebrationem Sponsalium, vel post eam, dubitant nonnulli, num ita impediat Matrimonium si emittatur post Sponsalia, sicut impedit emissum ante illa? ex quo enim præcedat Sponsalia, ea efficit illicita, & ex his illicitum quoque efficit Matrimonium subsequens; verum si præcedatur a Sponsalibus

libus validis, quoniam ipsum non videtur de meliori bono, quia involvit læsionem juris concessi in Sponsalibus alteri contrahenti, dubitant inquam, num ex hujusmodi Voto fiat illicitum Matrimonium subsequens?

Qui arbitrantur ex tali Voto reddi illicitum subsequens Matrimonium, plurimi recensentur a Maschat scilicet S. Thomas, Cajet., Aversf., Azor., Salmat. &c. ipseque his adhęret *lib. 4. t. 6. Qui Clerici, vel voventes n.* 8. quorum ratio est, quoties Votum simplex continentiæ &c. fit validum, impedit Matrimonium licitè contrahendum *Cap. 3. & 6. H. T.* Atqui hujusmodi Votum emissum post Sponsalia etiam valida est similiter validum, ac licitum; cum nullo jure improbetur, & servari possit, sitque praxis petendi ab eo dispensationem a Romano Pontifice; quæ non servaretur, nisi sententia esset omnino certa, ita illud valère, ut illicitum reddat quodcumque Matrimonium post se contrahendum; Ergo inquiunt ipsi inter impedimenta impedientia numerandum est etiam Votum simplex castitatis &c. emissum post Sponsalia inita: confirmant Arg. *Cap. 2. de conversione conjugatorum, & Cap. 3. de jurejurando.*

Qui oppositum tenent, sunt Sanchez, Layman, plerique alii autumantes prędictum votum esse de re illicita, quoad eam partem, qua impediret executionem fidei datæ in præcedentibus Sponsalibus, etsi valeret quoad servandam castitatem possibilem, & componibilem cum executione Sponsalium; propterea nullum producere impediens impedimentum Matrimonio celebrando.

6. Horum momenta sunt primo, Deum non acceptare Votum in præjudicium tertii *Cap. 28. de jurejurand.* Uti certum habetur, quod si promisisti Titio decem aureos, illos per Votum non potes Deo promittere; unde si per Sponsalia promisisti alicui Matrimonium, non potes per votum aliquid Deo promittere, cujus executio impediat Matrimonium, id enim esset in præjudicium Sponsæ, vel Sponsi.

Confirmant ex eo, quod non solvantur præcedentia Sponsalia per hoc subsequens Votum castitatis &c. nam si solverentur, sequeretur absurdum, quod esset; si post valida Sponsalia emitteret quis Votum simplex castitatis, deinde ab eo dispensationem obtineret, hic posset cum qualibet alia, & nova Sponsalia, & Matrimonium inire, & hinc via fraudibus, atque injustitiis aperiretur, quod est maximum absurdum. Dixi quod posset nova Sponsalia, & Matrimonium inire; nam si prædictum Votum redderet illicitum subsequens Matrimonium, deberet etiam invalidare sibi præcedentia Sponsalia: quibus anichilatis, nihil obstaret, quin, obtenta inde dispensatione a prædicto Voto, posset validè, ac licitè contrahere nova Sponsalia, & Matrimonium ipsum cum aliis.

7. Et hinc præfati Doctores procedunt ad solutionem argumentorum primæ opinionis: advertentes primo, citata juris capita decernere votum simplex castitatis esse quidem impedimentum, ne subsequens Matrimonium

nium contrahatur, sed quando est certò undequaque validum prædictum Votum, non vero quando est dubiè, vel probabiliter validum: ut ex verbis *Can. 3. & 6. hujus tit.* deprehendi potest. Cum ergo hoc simplex castitatis votum emissum post valida Sponsalia non certo, sed probabiliter sit validum, ex quo non de meliori bono: cum ejus executio ducat ad violandam fidem datam alteri in præcedentibus Sponsalibus: non est illud Votum, quod jura sint contemplata; propterea non nisi probabiliter dici potest, hoc Votum impedire Matrimonium imposterum celebrandum. Quod si tantum probabile esset, hoc votum impedire, quia odiosum est libertatem hominis coercere, & per hoc coerceretur, strictè sumendum esset, idest potius in favorem libertatis, quam in amplificationem legis voti, propterea non imprudenter decerni posset, ex eo nullum prodire impedimentum, quin liceat procedere ad celebrationem Matrimonii, sicque servare fidem in præcedentibus Sponsalibus datam.

8. Verum tamen est, quod præcitati Doctores non ita censent invalidum prædictum Votum, quin aliqua ex parte sustineri non debeat: etenim cum hujusmodi Votum habeat materiam divisibilem, si nequeat in totum servari, debet tamen in ea parte, quæ licite servari potest a vovente; hic autem vovens cum nequeat servare totam materiam hujus voti, quin lædat fidem datam alteri, proinde illicite agat, potest tamen servare castitatem; ex quo pura celebratio Matrimonii, ad quam solam ducunt Sponsalia, non violet castitatem, neque per eam claudatur via ad ingressum religionis, ob privilegium bimestrale: hinc omnino non est nullum prædictum votum; propterea apparet rationabilis illa praxis petendi dispensationem ab hujusmodi Voto, ne periculo incontinentiæ, & violationis Voti exponatur contrahens Matrimonium cum prædicto Voto, quod periculum manifestum est in sociali commercio cum uxore absque potestate petendi debitum.

Neque obest quidquam, quod in patrocinium validitatis hujus Voti adducunt primæ opinionis assertores, quod est, nempe, imbibitam esse conditionem in Sponsalibus tacitam quidem, sed a contrahentibus admissam, & simul a jure. *Arg. Cap. 1. de Convers. conjugat. & Cap. 4. de Voto*. Quæ est: *nisi perfectiorem, & Deo gratiorem statum elegero*; perfectior autem est status cœlibatus, seu castitatis, quam status Matrimonialis; itaque inquiunt, hæc conditio imbibita fuit in præcedentibus Sponsalibus; Ergo iis subsequens Votum simplex castitatis non fuit illicitum, neque eversivum fidei datæ in dictis Sponsalibus; Ergo validum, atque impeditivum futuri Matrimonii. Neque inquam, hæc dicant; nam Votum simplex castitatis non transfert voventem ad perfectiorem statum, seu Deo gratiorem: Primo quia non est status peculiaris mera observantia castitatis sine addito. Et quamvis esset, tamen non esset

nisi

nisi pro foro interno, solumque respiciens interiorem hominem: ad quem statum nec potuit, nec debuit advertere alter contrahens, ut in eam conditionem consentiret; & profecto jura statuentia subintelligi debere prædictam conditionem de perfectiori statu, & Deo gratiori, indicant illum esse debere, qui exterior appareat, & ab hominibus cognosci possit, atque distingui, qualis non est status, qui inducitur a simplici Voto castitatis: qui alius non est, quam status Religiosus, vel susceptio Ordinum; idque ne via aperiretur fraudandi, atque eludendi eos, quibus data esset fides in præcedentibus Sponsalibus.

9. Cum sub uno censu posuerimus votum simplex castitatis, votum ingrediendæ Religionis, & Votum non nubendi, &, quæ superius diximus, procedant solummodo de Voto simplici castitatis, vel ingrediendæ Religionis, non vero de Voto non nubendi, quod & ipsum, si præcedat Sponsalia, ea reddit invalida, atque illicita, & similiter subsequens Matrimonium, sin invalidum, saltem decernit illicitum, res postulat, ut quid de ipso dici debeat, si post Sponsalia emittatur: num videlicet & ipsum, uti simplex castitatis Votum, disputationem subeat circa impedimenti inductionem, ne licite Matrimonium imposterum contrahatur? aperiamus.

Sed quæstionem hanc solvunt primæ opinionis superius rejectæ Patroni, quorum ore, ita loquitur Maschat *loc. cit. n. 9.* inquiens, *quia vero tale votum est valde imperfectum, de quo SS. Canones nihil disponunt, facile admitti potest per illud consequens non dissolvi Sponsalia anteriora.*

Idem dicere potuisset de Voto simplici castitatis emisso post Sponsalia: etenim & illud est valde imperfectum, & est, de quo SS. Canones nihil disponunt, atque ita convenire nobiscum, quod Votum simplex castitatis emissum post valida Sponsalia inita non impedit Matrimonium celebrandum. Sed de hoc impedimento non plura.

SPONSALIA.

10. Ad secundum accedimus, quod producitur a Sponsalibus initis cum una, quæ impediunt, ne cum alia Matrimonium contrahatur, expressum habetur hoc impedimentum *in Can. Fin. Caus. 27. q. 2. & in Trid. sess. 24. Can. 2.* Et procedit hoc impedimentum a naturali jure prohibente, atque illicitum declarante tradi uni, quod præcedenter alteri promissum fuerat, illique data fides violetur, cum ergo per Sponsalia promittatur futurum Matrimonium uni, deinde detur Matrimonium alteri, in hoc apparet violari fidem datam primo, atque ita illicitum committi. Dixi illicitum, non vero invalidum, ex quo rei traditio fortius vinculum inducat, quam sola rei dandæ promissio *Cap. primo H. T. & 31. de Sponsalibus.*

11. Quia

11. Quia vero a naturali Jure descendit præfatum impedimentum, hinc sequitur a nullo tolli posse, præter quam a contrahentibus Sponsalia, cum per quas causas res nascitur, per easdem dissolvatur, aut saltem dissolvi possit; propterea ordinario Jure neque tolli potest a summo Pontifice, cum & ipse naturali Jure ligetur, ne alteri Jus quæsitum possit auferre; si autem adesset urgentissima justa causa, vi alti dominii, quod habet summus Pontifex in suos subditos, irritare posset Sponsaliorum consensum, atque ita indirecte infringere obligationem Sponsalium per materiæ subductionem, quæ in prioris consensus irritatione consistit. Hæc tamen potestas irritandi hujusmodi consensum non est concessa Episcopo, ut colligitur *ex Cap.* 10. *de Sponsal.* ex quo jus alteri quæsitum nullus tollere possit, nisi supremus Princeps, inquit Mascha: *de Sponsa duorum num.* 2.

12. Et quamvis dubium oriri posset de obligatione Sponsalium: num a Jure naturali procedat, vel non, ex quo leges civiles permitterent renunciare Sponsalibus, & cum alia contrahere *Leg.* 1. *C. H. T.* tamen & ipsæ in hoc gesto indecorum, atque illicitum fatebantur, cum ita se gerentem infamem decernerent. *Leg.* 13. §. 3. *ff. de his qui notantur infam.* 2. Quod argumentum præbet, easdem leges reputasse obligationem Sponsalium Jure naturæ insolubilem, & solum in comparatione pejoris mali, quod ex ejus observatione timeretur, indirecte relaxari posse. Verum cum hujusmodi Leges a Canonico Jure correctæ, vel potius abrogatæ per citatos Canones 27. *&* 50. *&c. H. T.* fuerint, nullum prudens dubium relinquunt de obligatione Sponsalium procedente a Jure naturali.

13. Quia ergo naturali Jure Sponsalia obligationem producunt procedendi ad Matrimonium cum ea, cum qua celebrata sunt Sponsalia, & ideo jure naturali impediunt celebrationem Matrimonii cum qualibet alia, & naturali Jure obliget facta promissio de Sponsalibus ineundis: queri potest: num, & hæc promissio inducat impedimentum impediens Matrimonium celebrandum cum alia. Sed prompta decisio Sacræ Congregat. Tridentini *Tom.* 8. *p.* 1. *Fol.* 26. in qua habetur, quod Matrimonium non impedit sola sponsio alteri facta de Sponsalibus secum ineundis, cujus ratio esse potest, quia per violationem hujus Sponsionis non violatur jus ad Matrimonium, sicut in Sponsalibus; Ergo hæc Sponsio non respicit ullo modo Matrimonium futurum; Ergo illi apponere nequit impedimentum: nam hæc Sponsio habet solum pro objecto Sponsalia ineunda; proinde violans hanc Sponsionem non violat fidem de ineundo Matrimonio, quæ data non fuit: quod si in nullo respiciat Matrimonium, non potest illi apponere impedimentum; Ergo &c.

TEMPUS

TEMPUS FERIATUM.

14. SEd ad tertium impedimentum impediens procedentes, quod est tempus Sacratum, seu Feriatum, advertimus omni tempore anni celebrari posse Matrimonium; ut definivit Sacra Tridentini Congregatio, estque communis praxis: ne ejus dilatione, ad certa tempora, scandala, & gravia mala oriantur; quod enim impedit tempus sacratum, est pompa, & solemnitates misceri solitæ nuptiis, seu Matrimoniis, quod tempus Sacratum ante Tridentinum latius patebat, quam postea, *ut Can.* 8. *& sequent. Caus.* 33. *quæst.* 4. *& Cap.* 4. *de Feriis, & in Senogalien. Sponsalium* 30. *Martii* 1737., post, inquam, Tridentinum tempus Feriatum incipit a media nocte Dominicæ Adventus, usque ad mediam noctem labentis Epiphaniæ, & a die Cinerum, usque ad octavam Paschæ inclusive: ut ex Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Reform. Matrimonii*.

Solemnitates porro, quæ dicto tempore prohibentur, sunt primo benedictio nuptiarum, quæ in Missa pro Sponsis habetur; non autem benedictio, quæ in actu celebrationis Matrimonii profertur a Parocho per ea verba = *Ego conjungo vos in Matrimonium, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c. ut Can.* 10. *ibidem* 2. Quod si Sacerdos Missalis benedictionem impertierit nuptiis prædicto tempore, arbitrarie puniendus est, & contrahentes, si consentientes, in pœnam delicti separari debent, eodem citato Canone. Quemadmodum etiam arbitrio Episcopi relinquitur pœna infligenda Parocho contemnenti impedire Matrimonia interdicta, quemadmodum & cuilibet Sacerdoti etiam regulari præsumenti eisdem interesse.

15. Secundo solemnis traductio Sponsæ in Domum Sponsi, quæ involvat strepitum, ac pompam; nam privata traductio, & subsequens Matrimonii consummatio non impeditur prædicto tempore. *Can.* 11. *ibidem*.

Verum tamen est, ut monet Maschat, quod in certis Diœcesibus Parochus sine licentia Ordinarii, non audet assistere Matrimonio Feriis prohibitis: quod servatur etiam in nostra Diœcesi ex laudabili introducta consuetudine, qua adiguntur Parochi obtinere licentiam ab Ordinario in scriptis, ut licite assistere valeant prædicto tempore Matrimoniis.

ECCLESIÆ VETITUM.

16. AD quartum, tandem impedimentum impediens accedentes, quod est Interdictum Ecclesiæ, primitus advertimus, nomine Interdicti intelligi posse censuram Ecclesiasticam, de qua Canonistæ *lib.* 5. *t. de Sent. Excommunicationis*. Verum hac significatione non hic sumitur Interdictum, sed pro mera prohibitione, qua legitimus superior ex justa cau-

sa

sa prohibet celebrationem Matrimonii; qua posita prohibitione si celebretur, illicitum est Matrimonium. *Can. 8. non oportet, Causa 33. q. 4. & Trident. sess. 24. Cap. 1. & 10. de Refor. Matrimonii.*

17. Cum autem hujusmodi prohibitio fieri possit, vel a summo Pontifice, vel ab Ordinario, & summus Pontifex prohibere possit duplici modo, nempe mere prohibente, vel etiam irritante, quod efficere nequit Ordinarius, qui solum potest merè prohibere, cum non habeat potestatem inducendi impedimenta dirimentia, quam solam habet Romanus Pontifex; si proinde hic vetaverit Matrimonium contrahendum, observari debet, sub qua clausula prohibuerit, num mere prohibente, & tunc Matrimonium subsequens erit illicitum, sed validum; vel sub clausula irritante, & tunc erit illicitum, & invalidum; inferiorum vero superiorum prohibitio non nisi illicitum reddere poterit subsequens Matrimonium; hæc habentur de Synodo Diœcesana Benedict. XIV. *lib. 7. c. 68. n. 3.*

Hujusmodi autem prohibitione emanata illicite contrahitur Matrimonium *Cap. Fin. H. T.* Ex quo per hanc Matrimonii celebrationem violetur grave præceptum legitimi superioris; ob quam violationem possunt etiam subjici contrahentes excomunicationi eodem *cit. Can.* Hoc tamen procedit, si justam causam interdicendi habuerit Superior: Nam si levem, propterea non justam, nullius roboris erit prohibitio, nullumque inde pariet impedimentum.

18. Causæ porro, quæ justæ, ac graves censentur prohibendi Matrimonium celebrandum, tres numerantur, prima est Sponsalia priora cum tertio inità, quorum relaxatio non constet. Secunda est, suspicio non vana latentis impedimenti dirimentis, aut etiam alterius impedientis. Tertia, timor gravium discordiarum rixarum, & scandalorum, quæ ex contrahendo Matrimonio prudenter prævidentur: hæ inquam, causæ colliguntur *ex Cap. 1. 2. H. T. & Cap. fin. cum autem: de clandestina desponsat.*

19. Inter has numerari etiam potest ignorantia mysteriorum fidei in contrahentibus, ob quam depellendam potest vel Parochus, vel Superior interdicere ad tempus illis celebrationem Matrimonii; ita in hanc rem consulatur Benedict. XIV. De Synodo Diœcesana *lib. 7. cap. 29. per totum.*

Alterutra harum causarum subsistente nedum Papa, & Episcopus, sed etiam Parochus interdicere potest, & debet Matrimonium *cit Cap. fin. H. T.* quia hæc prohibitio non postulat fieri judicialiter, si tamen fiat a Parocho, hæc limitata esse debet, nempe usquedum ad Episcopum causa deferatur, quemadmodum & illa Episcopi usquedum ad supremum tribunal delata fuerit, cui inferiores Prælati sua judicia subjicere debent.

20. Addunt nonnulli excommunicationem, vel aliam censuram, qua sit irretitus alter ex contrahentibus, ut quartam justam, & gravem causam in-

interdicendi Matrimonium celebrandum. Verum hæc non est causa interdicendi Matrimonium ipsa per se, sed tantum per accidens, scilicet quatenus irretitus tali censura vitandus sit, quia tunc licitè non posset cum eo communicare alter contrahens, & præsertim in Sacramenti administratione, ac susceptione ut ex *Cap. 6. de eo, qui duxit*. Ceterum si excommunicatus sit tolleratus, alter cum eo contrahens est immunis ab omni culpa; neque est quidquam in jure statutum prohibens Matrimonium celebrandum cum ipso excommunicato.

21. Minus quoque dici potest, quod interdictum Ecclesiæ, prout censura est, Matrimonium celebrandum impediat: nam tempore interdicti *ex Cap. 4. de Feriis*, constat posse valide, ac licitè celebrari Matrimonium; & quamvis *per Cap. Fin. de Sent. excom. in sex.* prohibeatur Ministris Ecclesiæ, ne tempore interdicti Sacramenta Fidelibus ministrent, tamen sub ea prohibitione non est positum Matrimonium; nam hoc non habet Ministros Ecclesiæ, sed contrahentes: & quia tempore interdicti contractus non prohibentur, ita nec Matrimonium; propterea ex praxi Ecclesiæ habetur, fuisse semper illud exceptum a lege interdicti.

Hinc quidem liquet, prohibitas esse nuptiales Benedictiones, cum prohibita tunc etiam sint Missarum solemnia; propterea & omnes benedictiones, quæ in Missa dari solent.

22. Quæ nostro ævo vigeant impedimenta impedientia, quasque ob causas, & quoquo modo incurrantur jam diximus. Superesset dicendum de eorum sublatione, vel dispensatione, sed quia universim de dispensationibus agemus post exposita impedimenta dirimentia, ab his nunc dicendis abstinemus.

§. II.

De Impedimentis dirimentibus quædam communia, eorumque enumeratio.

1. Quæ sunt præclara maxime, ac naturæ rationali conspicua, ut decenter, ac honestè tractentur, summopere expetunt. Matrimonium vero, cum ex iis unum sit, quod summopere deceat naturam humanam, illiusque statum peculiarem constituat; meretur propterea, ut honestè, decenterque tractetur: quod consequi non posset, si in cujusvis arbitrio esset, sine ulla moderatione, ac lege illud inire; ad quod cum respexerint etiam civiles leges, quædam sanxerunt impedimenta, seu obstacula moralia, quibus certa Matrimonia ob quandam indecentiam iniri vetantur. *Lege 42. ff. de ritu nuptiarum*.

Verum postquam Matrimonium a naturali, ac civili contractu ad Sacramentum traductum est a Christo Domino, similiter a jurisdictione, ac potestate secularium Principum est subductum; propterea, quæ de eo civiles leges sunt, nullius sunt roboris, quemadmodum & impedimenta per eas

ſtatuta, ſolique Eccleſiæ de eo poteſtas data ſit, ut ſub anathemate definivit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *Can.* 4.

2. Et quoniam poteſtas ſtatuendi impedimenta ſaltem dirimentia eſt res ſummi periculi, & totam reſpiciens Eccleſiam, non cuilibet Prelato data eſt, ſed ſoli Romano Pontifici reſervata. Hinc Pontifex juſta de cauſa poteſt ſtatuere impedimenta dirimentia pro univerſo Orbe Chriſtiano, & etiam pro qualibet individuali perſona, juſta inquam id poſtulante cauſa, dummodo baptizata ſit.

3. Pro iis vero, qui baptizati non ſunt poteſt Princeps politicus ſtatuere impedimenta, vel impedientia, vel etiam dirimentia eorum Matrimonia; cum apud ipſos non ſint, niſi, contractus naturales, ac civiles, de quibus Princeps politicus, ac civilis diſponere poteſt, ſtatuendo illorum impedimenta, vel impedientia, vel etiam dirimentia, ut habetur ex *Tit. ff. de ritu nuptiarum*.

Quod vero fieri nequit a laico Principe, poteſt quidem fieri a conſuetudine, quando hæc circumſtantias habeat, per quas vim legis obtineat, nempe inducendi impedimenta, tum impedientia, tum dirimentia Matrimonium, vel eadem abrogandi *Cap.* 1. 3. *de cognatione Spirituali*; quare autem id poſſit conſuetudo eſt, quia involvit implicitum conſenſum ſupremi Principis, nempe Pontificis, ut omnes conſuetudines vim legis obtinentes habere poſtulant implicitum legiſlatoris conſenſum.

4. Sunt tamen quædam impedimenta, quæ tolli nequeunt neque a conſuetudine, neque a Romano Pontifice, quia vel a naturali Jure, vel divino poſitivo procedunt, a quibus Juribus nemo eximitur, ſed iis omnes etiam, & Romanus Pontifex ſubjiciuntur; hinc hujuſmodi impedimenta afficiunt omnes prorſus homines, vel Fideles, vel Infideles. Quæ autem, & quanta ſint, dicetur in enumeratione omnium impedimentorum dirimentium, quæ in his verſiculis continentur:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, Si forte coire nequibis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Si Parochi, & duorum deſit præſentia teſtium.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Horum impedimentorum leges conſtitutivas indicabimus per ſingula procedentes, quæ juxta ordinem verſiculorum expendemus.

Sit ergo primum:

§. III.

§. III.

Error.

1. DE Errore agentes, non præstat ea iterum dicere; quæ diximus de Sponfalibus, fed hic recolecta habeantur, quoniam ipforum ufus hoc loco omnimode eft neceffarius. Erroris enim nomine intelligi debet judicium falfum de aliqua re. *Can. 6. Caufa* 22. *q.* 2. Hicque partitur in Errorem fubftantialem, ideft verfantem circa fubftantiam rei, de qua latum eft judicium, & in errorem accidentalem verfantem, nempe circa accidentia rei, fi de contractibus fermo fit. Error fubftantialis diftingui poteft in errorem circa fubftantiam contractus, circa fubftantiam rei contractatæ, & tandem circa qualitatem ceteroquin rei accidentalem, fed a contrahente affumptam per modum fubftantiæ: ex his porro erroribus, quis dirimat Matrimonium, manifeftabimus.

2. Solus itaque error fubftantialis, vel verfetur circa fubftantiam contractus, & Sacramenti Matrimonialis, vel circa individuum perfonæ, cum qua contrahitur, vel etiam circa qualitatem ejufdem perfonæ, cum qua contrahitur, affumptam a contrahente per modum fubftantiæ, dirimit Matrimonium, quia *Error perfonæ conjugii confenfum non admittit ex Can. unico Cau.* 29. *q.* 1. *cumque ab eo tollatur confenfus, fine quo cætera nequeunt fædus perficere conjugale Cap.* 26. *H. T. nullaque fit errantis voluntas, nullufque confenfus per Legem* 8. 9. *Cod. de J. & favore ignor.* Hinc ex juribus citatis liquet, impedimentum erroris effe impedimentum Juris naturæ; proinde afficiens etiam infideles: quod tolli nequit, neque ab Ecclefia, neque a Romano Pontifice; cum ipfe nequeat fupplere perfonalem confenfum.

Neque dicat aliquis, poffe fubfiftere Matrimonium fine confenfu, ut fpectatur in eo, qui illud contrahit cum appofitione conditionis impoffibilis, quæ cum habeatur ab Ecclefia ut non adjecta, tale Matrimonium validum fuftinetur; quemadmodum reputatum fuit validum Matrimonium Jacobi cum Lya, in quam non confenfit ob errorem: quod fortius viget poft elevationem ejufdem Matrimonii ad Sacramentum; ex quo error perfonæ, cui miniftratur aliquod Sacramentum, non reddat illud invalidum.

Neque inquam hæc dicat; nam apponens conditionem cognitam impoffibilem vere confentit, & folum joco appofuiffe conditionem præfumitur *Cap. Final. de conditionibus appof.* Et ideo pro non appofita haberi voluit Ecclefia. Cæterum fi ex animo contrahens appofuiffet, illique fuum alligaffet confenfum, ceffaret præfumptio, nullumque effet Matrimonium, faltem in Foro interno; quia tunc præfumptio cederet veritati, Et quamvis fuftineatur Matrimonium Jacobi cum Lya, illud non

 fufti-

sustinetur ob priorem erroneum consensum, sed ob renovatum, cognita Labani fraude, ac Lyæ suppositione. Quod porro error circa personam, cui ministrantur Sacramenta, eadem non invalidet, id solum evenit, ex quo Minister illorum nequit restringere suam intentionem ad aliquod individuum personæ, sed quam præsentem habet, eandem debet velle vel baptizare, vel absolvere &c. contra vero est de Matrimonium contrahente, qui certam, ac determinatam personam ita contemplatur, ut in nullam aliam velit consentire; quemadmodum emptor, vel quilibet contrahens rem individuam semper contemplatur, in qua, si deceptus fuerit, nulliter contraxisse dicitur ex Juribus supracitatis.

3. Quoniam vero error substantialis esse potest vel antecedens, vel concomitans, & de antecedente nulla sit quæstio, quin semper dirimat Matrimonium; est tamen de errore concomitanti, quia hic non facit involuntarium, sed potius secum habet voluntarium, saltem habituale; nihilominus & hic dirimit Matrimonium, quia non causat actuale, & positivum voluntarium, seu consensum ad valorem Matrimonii requisitum. Si enim quis E. G. contraxisset cum Caja, quam cogitasser esse Bertam, essetque etiam dispositus contrahere cum Caja, si tamen scivisset eam esse, non est qui dubitet, nullum fuisse hujusmodi Matrimonium; quamvis hic interjectus error concomitans fuerit; tamen talis fuit, qui verum consensum Matrimonialem peremit, & solum fuisset verus consensus Matrimonialis, si error depulsus esset; quoniam autem ea, quæ essent si, & non sunt, nihil operantur; ita consensus ille, qui esset, sublato errore concomitanti, & non est, Matrimonium non operatur.

4. Error postea, ut diximus, accidentalis Matrimonium non dirimit; quia cum versetur circa accidentia, seu circumstantias personæ, cum qua contrahitur Matrimonium, etsi sit antecedens, vel concomitans, non dat causam contractui, neque afficit consensum contrahentium; proinde non vitiat valorem Matrimonii *Can. un. in Fin. Causa 29. q. 1.* eo inquiente: quod *error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum*; ideo enim hic error non excludit consensum, quia consensus non habet pro objecto accidentia personæ, nisi ea a contrahente assumantur ut conditio sine qua non contraheret, sed personam, & quidem in individuo designatam, ex quo Matrimonium involvat individuam vitæ consuetudinem inter contrahentes habendam; hinc, licet non sit voluntarius consensus circa accidentia, nempe nobilitatem, divitias, sanitatem personæ, cum qua contrahitur, quia tamen est voluntarius, vel circa substantiam contractus, vel circa personam, cum qua contrahitur, est talis, ut jure naturæ sufficiat ad validitatem Matrimonii, quia in aliis contractibus hujusmodi consensus ad eorum validitatem sufficeret, *ut ex cit. Canone unico in Fin. causæ 29. q. 1.*

5. Di-

5. Diximus autem superius, esse errorem substantialem illum, qui versatur circa qualitatem rei, quæ à contrahente contemplatur, atque assumitur ut substantia: ne vero appareat contradictio, quoniam qualitas omnis accidens est, advertimus non hic sumi substantiam secundum physicos, sed secundum legis Peritos, ac Morales appellantes substantiam præsertim in contractibus id, quod ita contemplatur a contrahente, atque intenditur in re, de qua contractus initur, ut si illud deficiat, nolit omninò contractum inire; cum ergo possit quilibet contrahens ita intendere, ac velle aliquam qualitatem in re contractanda, ut si ea deficiat, quamvis rei accidentalis, omnino rem illam nolit; ita fieri potest, ut qui contrahit Matrimonium cum aliqua persona, in ea ita velit esse aliquam qualitatem, licet accidentalem, ut ea deficiente, nolit cum ipsa contrahere; proinde si error versetur circa hujusmodi qualitatem, dicetur versari circa qualitatem assumptam a contrahente per modum substantiæ.

Verum equidem est, quod talis qualitas nunquam præsumitur assumpta per modum substantiæ, nisi id expressum fuerit in actu celebrationis Matrimonii, & a contrahente apposita, velut conditio, sine qua non.

6. At quoniam ex circumstantiis quandoque apparet, qualitatem aliquam redundare in substantiam personæ, uti E. G. Titius ob spem regni vult contrahere cum primogenita hujus Regis hoc fine, ut sibi paret viam ad regnum, si illi offeratur secundogenita, consentiens in illam censetur errare in qualitate personæ assumpta per modum substantiæ, quinimmò in persona ipsa. Idem dicatur in aliis contractibus, quæ qualitas cum apertè non pateat assumpta per modum substantiæ, regulam præbent Doctores, præsertim Sanchez citatus a Maschat *lib.* 4. *t.* 1. *n.* 65. quæ est, si qualitas non determinet individuum personæ, error circa illius qualitatem non vitiat Matrimonium; si vero determinet, prorsus vitiat; ut apparet in adducto exemplo: nam finis, quem habuit Titius ineundi tale Matrimonium, fuit, sibi parandi viam ad regnum, quod consequi non posset, nisi per primogenitam; Ergo qualitas primogenitæ individuum personæ determinat. Contra est, si qualitas primogenitæ fuisset volita a Titio absque ullo fine regni adipiscendi, vel solum in genere voluisset illam esse illustrem, non determinando cujus sit familiæ; nam si circa has qualitates error versaretur, quia non sunt qualitates determinantes individuum personæ, utpotè pluribus communes, non esset error circa qualitatem assumptam per modum substantiæ; proinde non vitians Matrimonium: & hæc de errore.

Sit Secundum:

§. IV.

Conditio.

1. Conditio, quæ Matrimonium dirimit non sumitur pro ea conditione, quæ apponi solet a contrahente, sed est qualitas personæ, quæ ignorata ab uno ex contrahentibus Matrimonium dirimit, & hoc *ex Can.* 4. *& sequent. Causa* 29. *q. secunda, & Cap.* 2. *Fin. H. T.* Hæcque est servitus, seu mancipatus, de quibus *leg.* 9. *ff. de statu libero*.

2. Hæc porro qualitas servitutis non dirimit Matrimonium jure naturæ, quia cum sit accidens personæ, neque a contrahente prævideatur, ut ea assumi possit per modum substantiæ, tollere nequit consensum datum in personam hac qualitate affectam: propterea dirimit tantum jure Ecclesiastico ob justas causas ita statuente, ne injuria libero inferatur, ac proli; proinde reliquit Ecclesia in potestatem liberi, dum advertit conditionem servilem alterius conjugis, convalidare præcedens Matrimonium: ratum illud habendo, vel expresse, vel tacitè, nempe per copulam affectu Maritali habitam *Cap.* 2. *& Fin. H. T.* Nisi servitus personæ publica esset; nam tunc ex Tridentino convalidatio illius Matrimonii fieri debet coram Parocho, & Testibus.

Cum itaque hoc servitutis impedimentum statutum sit ab Ecclesiam in favorem liberi nescientis conditionem servitutis alterius, sit propterea primo, quod si liber scienter contrahat cum Ancilla, validum sit hujusmodi Matrimonium; quia volenti non fit injuria, quamvis ob vilitatem personæ fiat irregularis. *Can.* 15. *dist.* 34. *&* 2. Secundo liber contrahens cum libera putans esse Ancillam, vel servus contrahens cum Ancillâ, putans esse liberam: hi enim validum faciunt Matrimonium, quia eorum status deterior non fit, nisi assumpsissent libertatem, aut servitutem per modum substantiæ, quo eventu nullum esset Matrimonium, non ex impedimento servitutis, sed ex impedimento erroris, seu defectu purificatæ appositæ conditionis. Tertio liber nesciens conditionem servitutis contrahens cum Ancilla, quæ vi collocationis in Matrimonium a Domino factæ consequitur libertatem, validum facit Matrimonium, quia *ex Novel.* 22. *Cap.* 11. Hæc Ancilla in ipso contractu Matrimoniali libertatem consequitur; proinde verificatur, quod liber init Matrimonium cum libera; neque prior servitus ignorata, quæ in ultimo complemento Matrimonii non subsistit, illud vitiare potest.

3. Verum si contingeret, quod liber cum errore conditionis contraheret Matrimonium, deprehenso eo errore non poterit propria auctoritate, recedere. *Arg. Cap.* 2. *& Fin. H. T. & Cap.* 3. *de Divortiis*. Sed per auctoritatem Ecclesiæ, in cujus faciem Matrimonium inivit.

4. Occasione hujus impedimenti servitutis, hoc loco, agunt aliqui de Ma-

Matrimonio servorum cum Ancillis, verum quia vel in nostris regionibus non sunt servi, aut Ancillæ, vel admodum rari, prætium non est, ut in hoc immoremur.

Ad tollendas tamen æquivocationes advertimus, impedimentum conditionis non se extendere ulrra conditionem servitutis; propterea conditio divitiarum, ac nobilitatis, si ignoretur non efficit nullum Matrimonium, ut habetur definitum *in Tarentina Matrimonii die 8. Maii 1746. Tom. 12. Fol. 30. & 34.* inquiente, *Matrimonium initum inter dispares divitiarum, ac nobilitatis... declaratur validum.*

Sicuti per conditionem servitutis homines devoventur hominibus, ita per Votum sacrantur Deo: ut sicut illicitè contrahunt servi Matrimonium sine licentia Domini sui, ita sacrati Deo per Votum illicitè, vel invalidè, sine expressa licentia Dei contrahere possunt Matrimonia propterea de Voto ut irritante Matrimonium, dicemus, quoniam de impediente satis superius diximus.

Sit Tertium:

§. V.

Votum.

1. Quamvis votum genericè sumptum sit promissio facta Deo de meliori bono, ut docet Angelicus *secunda secundæ q. 88. art. 1*; tamen sub hac lata significatione non sumitur prout votum dirimens Matrimonium; nam in hac sola significatione usurpatur, qua denotat. Hominem promittere Deo omnem abstinentiam usus liciti, atque illiciti venereorum *Can. 8. Dist. 27. & Cap. unic. de Voto in sex.*

2. Hujusmodi autem peculiaris promissio partitur in solemnem, & simplicem, & hinc duplex votum castitatis, nempe solemne, ac simplex. A Voto solemni semper dirimitur Matrimonium, a simplici vero quandoque solum; scilicet cum circumstantiis quibusdam peculiaribus Votum simplex fuerit convestitum. De quibus infra; nunc discrepantiam indicabimus Voti solemnis a Voto simplici.

3. Votum itaque solemne castitatis illud est, quod emittitur in professione Religiosa; ad cujus substantiam ita pertinet, sicut Votum paupertatis, & obedientiæ; nam eâ involvit substantialiter renunciationem, & abstinentiam a concupiscentia carnis, oculorum, & a superbia vitæ; Hinc Religiosa professio est spirituale conjugium cum Christo Domino pariens vinculum indissolubile, secumque trahens mundanam, ac civilem mortem, ob quam inhabiles Religiosi efficiuntur ad quemlibet mundanum, ac civilem contractum, ac proinde Matrimonii; hinc professio Religiosa jure naturali, & divino dirimit Matrimonium contrahendum.

Etenim jus naturale dictat rem uni plenè, perfecteque traditam, eodemque

que modo acceptatam non posse iterum valide tradi alteri; ex quo res non sit amplius dantis, sed acceptantis eam: licet aliquando relinquentis illam precario nomine apud dantem; per professionem vero Religiosam homo pleno jure, perfectoque modo tradit se Deo, & Religioni, quæ pro ipsa, & ipso Deo ejusque nomine acceptat hanc traditionem, seque tali homini contractu ultro citroque obligatorio devincit; a quo gesto naturalis obligatio oritur in Religionem profitente ita servandi substantialia Religionis, ut per ipsam anihilentur quæcumque attentata contra substantiam ejus. Matrimonium vero adversatur substantiæ Religionis; tollit enim ab illa perfectam abdicationem concupiscentiæ carnis, involvit superbiam vitæ per contractum Matrimonialem, aliosque civiles actus, ac humana commercia, offendit obedientiam, quæ major servari non potest celebrato Matrimonio, uti eo non celebrato, prævalentibus tunc juribus Matrimonii ad jura professionis Religiosæ: Ergo jure naturali professio Religiosa, seu votum solemne castitatis dirimit Matrimonium.

Dirimit quoque jure divino, ex illo *Mat.* 19. *vers.* 12. inquiente Christo Domino: sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum; quæ verba significant perfectam moralem inhabilitatem ad Matrimonium, sicut castratio physica involvit perfectam physicam inhabilitatem ad ipsum Matrimonium.

Quod roboratur divina traditione hunc textum interpretante; cum a principio Ecclesiæ usque ad nostra tempora sanctè, semper, ac Religiose custoditum sit, atque servatum, Religiosos non posse connubia inire, & inita separari debere: hinc Siricius Papa *Can.* 17. *Verb. Velatæ: Caus.* 27. *q.* 1. præcipiens separationem Religiosi a muliere sibi in Matrimonium adducta, inquit, *Verbo Domini, & Canonica auctoritate separamus &c.* per quæ verba innuit ex verbo Domini præcipiendam esse separationem; Ergo divino Jure, tum scripto, tum tradito professio Religiosa, seu votum solemne castitatis dirimit Matrimonium.

Cujus divini Juris, ratio desumi potest ex eo, quod Christus Dominus segregaverit statum Religiosum a statu laicali, propterea & conjugali; cum quo statu Religioso componi nequeunt officia, ac onera, ut liquet, status conjugalis.

4. Hucusque propria recensuimus Voti solemnis, nunc quæ propria sint Voti simplicis, prout distincti a Voto solemni, & nedum impedientis, sed etiam dirimentis Matrimonium, dicemus.

5. Votum itaque simplex, quod dirimit Matrimonium, quadruplex est, nempe, quod est adjectum Ordini Sacro, quod emittitur a conjuge in seculo, cujus alter conjux professus est Religionem, quod emittitur a scholastico Societatis Jesu; denique quod emittitur ab ea uxore, cujus vir ex suo consensu ascendit ad Ordines sacros.

An-

Antequam propria Voti simplicis expendamus, pretium esset, ut de questione inter Theologos, & Canonistas moveri solita, aliquid diceremus, quæ est, *an Votum adjectum Ordini sacro sit solemne, vel potius simplex*. Questio inutilis praxi; nam vel solemne, vel simplex sit, utrumque habet vim dirimendi Matrimonium: hac sola disparitate intercedente, quod, si esset solemne, dirimeret Matrimonium jure naturali, ac divino; si vero sit tantum simplex, dirimit solum jure Ecclesiastico: tamen ut notavimus, Votum adnexum Ordini, quodcumque illud sit, Matrimonium dirimit. *Cap.* 1. *de Clericis conj. Tid. Seff.* 24. *Can.* 9. Propterea ab hac solvenda, censuimus abstinendum; presertim cum definitum habeatur *Cap. unic. de Voto in sexto. Et Extr. unica*, quod Ordo sacer vim non habeat solvendi Matrimonium ratum, ut habet professio religiosa; proinde vim non habet Voti solemnis.

6. Propria ergo recensentes Voti simplicis, hoc unum, atque præcipuum observamus, & est, quod Votum simplex continet promissionem rei, non vero ejusdem rei traditionem, ut eam continet Votum solemne; & ideo solemne jure tum naturali, tum divino dirimit Matrimonium; Votum vero simplex nec jure naturali, nec jure divino dirimeret Matrimonium, ex quo, si res uni tantum promissa alteri tradatur, illicite quidem, sed valide secundo traditur; propterea si dirimat Matrimonium, hoc ex jure Ecclesiastico habet: idque clarius patet, ex quo non omnia Vota simplicia castitatis dirimant Matrimonium; ut eveniret, si universim Votum simplex naturali jure, vel divino dirimeret Matrimonium. Selectio ergo quorumdam votorum a reliquis, ut illa, & non hæc dirimant, non a jure naturali, non a divino, sed ab Ecclesiastico procedit; Ergo quæ vota simplicia habent vim dirimendi Matrimonia, eam habent a jure Ecclesiastico.

7. Neque Ecclesia, dum decrevit quædam Vota castitatis, etsi simplicia, dirimere Matrimonium, inconsulto, ac sine divini Spiritus illuminatione egit: nam primo adigens suscipientem Ordines sacros ad vovendam castitatem; quamvis illi statui jure naturæ non obstaret Matrimonium, quia tamen perfectioni, ac sanctitati illius status obstat nimium, cupiensque ipsa Ecclesia habere Dei ministros majori, qua possit puritate, & sanctitate præditos, decrevit promovendos ad sacros Ordines se ipsos ita Deo consecrare debere, ut imposterum nec licite, nec valide possent Matrimonia contrahere; liquet id ex citatis Canonibus & præsertim *Can.* 40. *ut lex Causa* 27. *q.* 1.

Secundo cogens conjugem remanentem in seculo ad Votum simplex castitatis emittendum, honori, ac reverentiæ Religionis consuluit, in qua professus est alter conjux; indecorum reputans, quod ligata viro, qui sit membrum illius Religionis, alteri copuletur: ex quo professus censeatur vivere adhuc post professionem in tota Religione, quæ religio

gio virum ipsum semper representat; sicque vita viri quasi immortalis efficitur: ob hanc inquam honestatem, atque decentiam voluit, ut Votum castitatis emissum a remanente in seculo, licet simplex, perpetuo dirimat Matrimonium.

Tertio, ob hanc eandem honestatem, ac reverentiam debitam Ordini sacro voluit Ecclesia; ut uxor illius viri, qui promovetur ad sacros Ordines, voveret castitatem, nedum servandam tempore vitæ sui conjugis promoti, sed servandam perpetuo, ut imposterum irritum foret quodcumque attentatum Matrimonium. *Can.* 10. *& seq. Dist.* 28. *Can.* 14. *Dist.* 32. *in quo ultimo Canone ad calcem hæc leguntur.* „Quod si quis „ ex præfatis Ordinibus desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit „ hoc sine consensu Uxoris suæ, ut fiat de carnali deinceps spirituale „ conjugium, nemine eos ad hoc cogente. Neque permittitur postea U„ xor jungi eidem Marito suo carnaliter: nec cuiquam nubere in vita, „ aut post mortem illius.

Quarto similiter Ecclesia indulsit Societati Jesu, ut Votum simplex castitatis, quod emittunt post Novitiatum in eam ingredientes, dirimat Matrimonium, ut ex Gregorio XIII. in Bulla *Ascend. Domino* 1584. quousque tamen in eadem permanent Societate; idque ad similitudinem professionis Religiosæ, ex eo, quod quousque permanent in dicta Societate, Religiosi dicantur ab ipsamet citata Bulla, quos tales decernit, *non secus ac ipsos tum Societatis, tum aliorum Regularium professos.*

Impedimento Voti subsequitur Cognationis impedimentum, ut sicut ex proximitate cum Deo per Votum producta procedit impedimentum dirimens, ita ex proximitate personarum proveniente a cognatione, similiter Matrimonium dirimatur. Hoc exposcente vel reverentia sanguini debita, vel honestate, aut spirituali, aut legali: propterea

Sit Quartum:

§. VI.

Cognatio, quæ & quotuplex;

1. COgnatio autem si universim accipiatur est vinculum, vel, ut aliis placet, propinquitas personarum, quæ in triplicem partitur classem, scilicet in carnalem, spiritualem, & legalem, quibus speciebus addi posset publica honestas, quæ in suis producendis effectibus carnalem imitatur cognationem, ipsa tamen a sola juris dispositione procedit.

DE

De singulis singillatim agemus, & primo:

DE COGNATIONE CARNALI.

2. Cum itaque cognatio omnis sit vinculum personarum, si hoc vinculum a carne proveniat, seu sanguine, quasi per additam differentiam cognatio carnalis dicetur: quæ in duplicem scinditur jure presertim Canonico attento, scilicet in consanguinitatem, & affinitatem.

3. Consanguinitas quasi ab unitate sanguinis dicitur, estque vinculum illud carnis, seu personarum provenientium ab uno, & quidem propinquo stipite, seu capite per naturalem propagationem.

Dicitur vinculum, seu propinquitas personarum: nam licet omnes ab uno sanguine, nempe Adamo proveniant; tamen ob illam remotam unionem cognati non dicuntur, sed ii tantum, qui capiti suo approximantur, & ideo dicitur, esse vinculum personarum provenientium ab uno non utcumque, sed propinquo capite; quod caput vel masculinum sit, vel fœmininum, Canonico Juri non interest contemplanti tantummodo jus naturale, reverentiam sanguini præcipiens, qui sanguis æque a Matre participatur, ac participetur a Patre; propterea jus Canonicum non attendit ad lineas introductas a jure civili, scilicet agnationis, & cognationis, quas omnes sub una cognatione comprehendit.

4. Cum itaque consanguinitas sit personarum propinquitas, hæcque propinquitas latam, aut correptam mensuram habere queat; ne in incertum vagemur eam scrutantes, definiti sunt quidam gradus vel a jure naturæ, vel a divino, & Ecclesiastico, statuentes confinia hujus propinquitatis: qui, ut percipiantur, tres lineæ concipi debent in consanguinitate: una, quæ dicitur recta, estque ascendentium, atque descendentium, & duæ laterales, quarum una dicitur æqualis, altera inequalis.

5. In Linea recta ita gradus numerantur, ut tot sint gradus, quot personæ, dempto stipite, vel ex iis personis una; hæcque si fuerit descendentium, exordium ducit a Patre, descendit in Filium, deinde in Nepotem, postea in Pronepotem, tandem in Abnepotem, & ultra, si qui sint alii descendentes. Si fuerit ascendentium, incipit hæc ab uno E. G. Petro, deinde ascendit ad Patrem ejus, ab hoc ad Avum, ab Avo ad Proavum, & a Proavo ad Atavum, & ultra, si alii quærendi sint.

6. In Linea laterali æquali ita numerantur gradus, ut in eo gradu sint inter se, in quo gradu distant a communi eorum stipite; pro cujus intelligentia concipi debent duæ lineæ ortum habentes ab eodem stipite vel Masculino, vel Fœminino, & æquæ productæ, ut in alterutra quarum non superabundet persona. Tunc, quia persona unius lineæ æque distabit a comuni stipite, ac distet persona alterius lineæ ab eodem communi stipite; æque propterea distabunt inter se ambæ illæ personæ:

næ: quoniam producta una linea usque ad caput comune, ibi terminat, ac finit, & non transcendit in aliam lateralem; itaut caput in se uno reprehesentet omnes personas alterius lineæ; & ideo quando noscitur, in quo gradu distat una persona ex iis lineis a communi stipite, noscitur quoque, in quo gradu distet a persona existente in alia linea laterali, quæ sit æqualis.

7. In linea postea laterali inæquali desumitur numeratio gradus a remotiore persona: propterea & in ea concipiendæ sunt duæ lineæ habentes communem stipitem, seu caput; una quarum ex dictis lineis longior producatur; idest constet pluribus personis, quam altera, & ultimo producta persona comparetur cum stipite, enumerando interjectas personas ascendentales usque ad caput ipsum: quibus numeratis constabit, tot esse gradus ab illa persona remotiori usque ad stipitem, quot personæ, una semper dempta, ut notavimus; quia ad gradum unum constituendum duæ personæ requiruntur. Constito autem quo gradu distet persona remotior a communi stipite, quoniam, ut superius diximus, personæ alterius lineæ computantur in eodem stipite, a quo terminatur linea remotior; fit proinde, ut omnes personæ alterius lineæ sint in eodem gradu cum dicta persona remotiori, in quo cum ipsa est communis stipes, seu caput.

8. His expositis quo jure, & usque ad quem gradum consanguinitas dirimat Matrimonium, aperiemus; quia vero plures lineas habet, per singulas progrediemur, & primo.

Lineam rectam consanguinitatis intuentes primum illius gradum offendimus, qui est inter Patrem, & Filiam, Matrem, & Filium: hic gradus dirimit Matrimonium jure naturali; quod ita certum, ut nedum moratæ gentes, sed & Persæ contrarium aversentur, ut juris naturalis eversivum, perpetuam involvens turpitudinem, vel in contrahendo, vel in usu, ac permanentia conjugii paterni cum Filia, seu materni cum Filio, non secus ac usura perpetuam injustitiam continens. Etenim Pater cum sit principium Filiæ, cui dat esse naturale, sitque ei superior, & illa Patri inferior, debens eidem perpetuam reverentiam, & submissionem (cui perpetuò advertatur æqualitas conjugalis, quæ maximè spectatur in ipsa carnali copula, quæ haberi nequit, nisi jus æquale sit in conjugibus supra eorum corpora) ob ingenitum pudorem natura abhorret, ut Pater revelet turpitudinem Filiæ. Hinc dixit Paulus *Leg.* 14. §. 2. *ff. de ritu nuptiar. Contra pudorem est, Filiam uxorem suam ducere.* Et profecto hanc reverentiam naturæ debitam a Filia Patri, & a Filio Matri adeo curavit Deus, ut expresse in quarto Decalogi præcepto eam præceperit; propterea indirecte vetaverit quidquid illi contrarium est. Unde si huic reverentiæ adversetur Matrimonium Patris cum Filia &c. Jam liquet prohibuisse etiam Matrimonium Patris cum Filia, sic-

ſeque nedum jure naturali, ſed etiam poſitivo divino primum gradum conſanguinitatis lineæ rectæ dirimere Matrimonium.

Neque obeſt, poſſe Patrem reverentiæ ſibi debitæ renunciare, filiæque remittere, cum hæc reverentia inſit fixa in natura, cujus Pater non eſt Dominus, neque a Patre præcepta, ſed a natura, quæ tolli, vel abrogari non poteſt, niſi ſublata, ac deſtructa natura ipſa.

9. A primo gradu, ad ſecundum procedentes ejuſdem lineæ rectæ, diverſas Doctorem ſententias de eo, num ſcilicet, & ipſe de jure naturæ dirimat Matrimonium, comperimus: nam Angelicus *ſecunda ſecundæ q. 154. art. 9. ad 3.* Docet conſanguinitatem in ſecundo, & ulterioribus gradibus lineæ rectæ non dirimere Matrimonium jure naturali: nempe inter Avum, & Neptem, vel Proneptem, vel Abneptem &c. Bellarminus aliique Jeſuitæ plures ſentiunt, conſanguinitatem in linea recta dirimere Matrimonium in infinitum, ut nulli ſint gradus, etſi remotiſſimi, in quibus valeat Matrimonium. Nonnulli coercent hanc lineam ad vigeſimum, vel quartum, vel tertium, vel etiam ſecundum, & tandem quidam indefinitam legem ſtatuunt gradibus lineæ rectæ dirimentibus Matrimonium, quæ eſt, conſanguinitatem in iis omnibus gradibus lineæ rectæ dirimere Matrimonium, in quibus viget amicitia inter conſanguineos, qua ipſa ceſſante, quocumque gradu connectantur, inire poſſunt Matrimonium.

10. Ex harum opinionum diverſitate conſpicitur, nihil certo eſſe definitum a Jure naturæ circa impedimentum dirimens Matrimonium in recenſitis ſecundo, & reliquis gradibus lineæ rectæ conſanguinitatis; nam natura non ita obſcure manifeſtat ſua præcepta, ut in oppoſitum opinari conſentiat: quod vitium ſi admitteret auctori illius tribueretur; Hoc autem nefas eſt cogitare; ſupereſt ergo, ut cum Angelico ſtatuamus, ſecundum, & reliquos inferiores gradus lineæ rectæ conſanguinitatis, qui nunc dirimunt Matrimonium, illud dirimere vel poſitivo divino jure, vel Eccleſiaſtico, quod ſuadetur *ex Tridentino ſeſſ. 24. Can. 3. de Sacramento Matrimonii*. Anathematizante negantes Eccleſiam diſpenſare poſſe in nonnullis gradibus per Leviticum prohibitis, inter quos erat etiam ſecundus conſanguinitatis lineæ rectæ, qui ſi jure naturæ dirimeret Matrimonium, ab Eccleſiæ poteſtate ſubduceretur, ut de ſe patet; quod idem definitum habebatur *Cap. 8. de Divortiis*.

Et quamvis *Cap. 13. Verbo opinioni de reſtitut. Spoliat.* Reſcripſerit Pontifex, non poſſe a Sede Apoſtolica diſpenſari ad Matrimonia in Levitico prohibita, non hæc dixit, quia ea eſſent jure naturali irrita, ſed quia non quælibet gravis cauſa ſufficit, verum graviſſima poſtulatur: nam juri divino per ipſam eſſet derogandum. Cæterum quæ prohibentur in Levitico, non eſſe omnia jure naturali prohibita, atque irrita deprehenditur ex eo, quod ibi prohibeatur nepos contrahere cum Amita; vel Ma-

Matertera, non tamen neptis cum Patruo, vel Avunculo, licet utrique sint in eodem gradu; propterea Leviticum nedum habet precepta naturalia, sed etiam positiva: neque est spectabile momentum, quo moveamur ad nobis suadendum, secundum, & reliquos gradus lineæ rectæ consanguinitatis jure naturali dirimere Matrimonium.

11. A Linea recta ad lateralem procedentes ejusdem consanguinitatis, primum illius gradum, qui est inter Fratrem, & Sororem, dicimus cum Angelico *in quarto Dist. 40. q. un. art. 3. in corpore, & secunda secundæ q. 154. art. 9. ad 3.* non dirimere Matrimonium jure naturali: inquiente ipso „ Aliæ personæ, quæ non conjunguntur secundum se ipsas, sed „ per ordinem ad Parentes non habent ita ex se ipsis indecentiam (sicut „ Parentes, & Filii) sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia se„ cundum consuetudinem, & legem humanam, vel divinam „ unde patet, ultra primum gradum lineæ rectæ non producere Angelicum impedimentum dirimens jure naturæ, sed illud peti debere vel a consuetudine, vel a jure humano, aut divino.

Plurima sunt momenta, quibus roboratur assertio, quæ sunt relata a Mafchat *lib. 4. t. 14. de Conf. & Affin. n. 8.*

12. Aliud non itaque spectandum est jus, quam Ecclesiasticum tum in secundo, & aliis gradibus lineæ rectæ consanguinitatis, tum in aliis lineis lateralibus quo ad dirimendum Matrimonium: quod jus Ecclesiasticum definivit, a secundo consanguinitatis gradu lineæ rectæ usque in infinitum ejusdem lineæ eamdem consanguinitatem dirimere Matrimonium: habetur ex regulis *Cap. 1. de novo opere nunciando, & §. primo Institut. de Nuptiis leg. 53. ff. de ritu nuptiarum*, quæ leges, etsi civiles sint, tamen adoptatæ sunt *a Can. 2. Conjunctiones Cauf. 35. q. 3.* quibus non obstat *cap. 8. H. T.* in quo videtur coercitum impedimentum dirimens ad quartum gradum; nam hujusmodi caput disponit solummodo de lineis lateralibus, non vero de recta, quam sub dispositione adductarum legum, & citati Canonis *Conjunctiones* reliquit. Verum refert parum, num inter quartum gradum lineæ rectæ contineatur impedimentum dirimens, vel in infinitum producatur; cum vita hominis ultra quartam generationem sibi posteriorem ordinarie non extendatur.

Definivit similiter, consanguinitatem in lineis lateralibus sive æqualibus, sive inequalibus non ultra quartum gradum dirimere Matrimonium, ut *ex cit. Cap. 8. Verb. prohibito H. T.* a quo moderantur antiqui Canones *Causæ 35. q. 3.* a quibus producebatur impedimentum usque ad septimum gradum. A jure peritis, atque Theologis ratio exhibetur saltem congruentiæ adductarum legum Canonicarum, quæ conspicitur in citato Mafchat *n. 9.* aducente Angelicum *par. 3. q. 33. art. 4.* Et profecto hæc impedimenta juste sunt posita, tum quia consanguinei debent sibi reverentiam, tum, ut tollatur periculum incestus propter simultaneam habitationem.

13. Et

13. Et revera, nisi esset juris tantum Ecclesiastici consanguinitas impediens, ac dirimens Matrimonium in lineis lateralibus, falsò decrevisset Sacra Tridentini Congregatio tum in una Neapolitana Matrimonii 20. Maii 1719. *Tom. p. Fol.* 194. & 198. in qua non declaratur nullum Matrimonium, ex quo Fratres Viri asserant precedenter cognovisse ejus uxorem, nisi concludenter probent, tum in alia Bobien: Matrimonii 26. Januarii 1743. *Tom.* 11. *p. prima Fol.* 27. *ita habente:* „ Matrimonii impedimentum ex fama, quia scilicet mulier sit consanguinea Sponsi, quia „ genita ex adulterio Fratris Sponsi, idque affirmet Mater, si tempore „ conceptionis convivebat Marito, non satis probatur. Neque si Mater, vel „ uterque parens in mortis articulo adseverent, quempiam ex Filiis natum „ esse extra legitimum conjugii usum, ullatenus eis credi oporteat. „ Falsò inquam hæc decrevisset: nam primo, etsi Fratres viri concludenter non probassent, cognovisse uxorem ejus, quoties a parte rei revera cognovissent, & ex eo secuta esset conceptio prolis, satis haberetur ad habendum impedimentum consanguinitatis, quoties illud esset jure naturali productum. Secundo neque admitti posset, ut lex statuta, scilicet, non esse credendum Matri, vel utrique Parenti adseverantibus in articulo mortis, quempiam ex Filiis natum esse extra legitimum conjugii usum; etenim firmior probatio de illegitimitate haberi nequit, quam a confessione Matris, vel utriusque Parentis.

Quæ si attendi non debeat ob hanc Resolutionem ad effectum deprehendendi, num intercedat consanguinitas inter contrahentes, aperta est demonstratio, ex jure naturæ nullum esse impedimentum, & si quod est, esse tantum juris Ecclesiastici: quod jus Ecclesiasticum tunc relaxatur in ea peculiari circumstantia, in qua consanguinitas deprehendi nequeat, nisi per confessionem parentis illegitimæ prolis, & sufficiens probatio non exhibeatur ab assertoribus intercedentis inter contrahentes consanguinitatis; cum in iis circumstantiis nolit Ecclesia vigere impedimentum ab illa positum, ne id vergat in damnum, ac destructionem subditorum: quæ relaxatio juris Ecclesiastici in iis rerum eventibus manifestius conspicitur ex una Mexicana visitationis Sanctorum Liminum 31. Martii 1708. *Tom.* 9. *p. tertia Fol.* 41. *in qua statuitur*. „ Matrimonium initum „ cum dispensatione super gradibus prohibitis a non habente facultatem „ concessa, si permaneant in bona fide contrahentes, in eadem sunt relinquendi. „ Unde ex hac Resolutione apparet, Ecclesiam in bonum suorum subditorum suas leges relaxare, & prefertim in hac materia impedimentorum dirimentium Matrimonia, quoties ea sint impedimenta juris positivi Ecclesiastici, vel hæc consanguinitatis, aut alterius speciei. Sed de consanguinitate satis sint dicta, ad affinitatem progredientes.

Sit Quintum:

AFFI-

AFFINITAS.

14. Cum ex unitate sanguinis descendat consanguinitas, ita ex unitate carnis descendit affinitas. Ex carnali enim copula fiunt una caro Mas, & Fœmina; unde ex hac unitate personarum propinquitas nedum jure positivo, sed & naturali producitur, quam & barbaræ gentes etiam cognoverunt. Verum, etsi a jure naturali descendat, non tamen ex eodem jure vim obtinet dirimendi Matrimonium, ut imposterum dicemus, nunc præstat exponere, inter quas personas oriatur affinitas; & primo certum omnino est, nullam oriri affinitatem inter conjuges, vel se carnaliter cognoscentes; cum isti causa sint affinitatis, non vero ipsa affinitas; nam ii ponunt unitatem carnis per copulam; propterea si illa unitas sit causa affinitatis, ne effectus sit idem ac causa, vel etiam prior sua causa, dicere oportet, oriri non posse affinitatem inter Marem, & Fœminam se carnaliter cognoscentes.

15. Propinquitas ergo affinitatis inducitur inter personas, quæ consanguinitatis vinculo sint propinquæ Mari, & Fœminæ copulam inter se ipsos habentibus; hacque lege, ut consanguinei mulieris, in quo gradu consanguinitatis cum ea sunt, fiant affines viri in eodem gradu, & contra consanguinei viri in eodem gradu affinitatis uniantur cum Muliere: ita tamen ut affinitas terminetur, vel ad Virum, vel ad Mulierem tantumodo, non vero transcendat ad alias personas; idest omnes consanguinei Mulieris evadant affines Viri, & non cum alia persona ejusdem Viri consanguinea, & similiter contra, omnes consanguinei Viri evadant affines Mulieris, & non cum alia persona consanguinea Mulieris.

16. Regula porro deprehendendi, in quo gradu sint affines, peti debet a gradu consanguinitatis, in quo sunt cum altero, qui copulam habuit; si itaque cum eo sint in primo, vel in secundo consanguinitatis, erunt similiter in primo, vel in secundo affinitatis cum quo ille alter copulam habuit.

Olim *ex Can. 3. & Fin. Causa 35. q. 3.* Tres erant species affinitatis, nempe primi generis, secundi generis, & tertii generis. Primi generis ea erat, quam nuper descripsimus; hæcque sola nunc viget circumscriptis aliis duabus speciebus *a Cap. 8. H. T.* etiam corripiente, ac annullante *legem 15. ff. de ritu Nuptiarum & legem 4. §. 7. ff. de gradib. & Affinib.* disponentes, affinitatem secundi generis in linea recta sequentia Matrimonia dirimere, quæ inquam leges abrogatæ fuerunt *a citato Capite 8. H. T.* universim statuente, non aliam affinitatem habere connexum impedimentum dirimens Matrimonium, quam affinitatem primi generis; & propterea, ne dubium quidem est, quin Vir possit ducere Novercam, vel privignam Uxoris suæ defunctæ. Ve-

Verum, ut pateant etiam hæ duæ species nunc sublatæ affinitatis, quid ipsæ essent nunc dicemus.

Affinitas itaque secundi generis mediantibus duabus personis contrahebatur, videlicet, Frater meus contraxit nuptias cum Berta, mortuo meo Fratre, Berta contraxit cum Titio, Titius hic evasit meus affinis secundo genere affinitatis in primo quidem gradu, quia in eo primo gradu consanguinitatis distabam a Fratre meo.

Affinitas autem tertii generis contrahebatur mediantibus tribus personis; datum exemplum producamus: Titius supraenunciatus sit mihi affinis in primo gradu secundi generis, mortua Berta ejus uxore contraxit cum Caja, hæc Caja evasit mihi affinis in primo quidem gradu, sed affinitate tertii generis. Hæc sint dicta, ne incurrentes in aliquod juris Canonici caput, in obscurum labantur.

17. Spectata itaque affinitate, & cujus generis sit, quæ nunc dirimit Matrimonium; quo jure, & ad quem usque gradum dirimat, investigabimus.

Affinitatem sive in linea recta, sive in laterali ex jure naturali non dirimere Matrimonium etiam in utriusque lineæ primo gradu habuimus superius ex Angelico *citata secunda secundæ q.* 154. *Art.* 9. *ad* 3. licet illi adversentur S. Antoninus, Bellarminus, Reinfest. saltem quoad gradum primum lineæ rectæ; quod firmius habemus *ex Can.* 8. *de Incest. Causa* 35. *q.* 3. in quo, licet prohibeatur Matrimonium Privigni cum Noverca, illud tamen, si in infidelitate contractum fuerit, non dissolvitur, quod dissolvi oporteret, si naturali jure primus gradus affinitatis lineæ rectæ secum haberet adnexum impedimentum dirimens Matrimonium; propterea vel si gæsta Sacra evolvamus, aut profana, in exempla horum Matrimoniorum offendimus, scilicet Adoniæ petentis sibi copulari Abisag Davidis Patris sui relictam: Seleucum dedisse secundam suam uxorem repudiatam Stratonicen Filio suo, referente Valerio Maximo *lib.* 5. *Cap.* 7. quæ gæsta, ut juri naturali adversantia a nullo fuerunt notata.

Expressius in divinis litteris habetur, primum gradum affinitatis lineæ lateralis non dirimere Matrimonium. Jacob enim duxit duas sorores Lyam, & Rachelem; quinimmo *Cap.* 25. *Deut. I. Vers.* 5. jubetur Frater ducere uxorem Fratris defuncti sine liberis; ne ergo dicatur præcipi a jure divino positivo aliquid oppositum juri naturali, fateri oportet, ne quidem in primo gradu lateralis lineæ ex jure naturæ affinitatem dirimere Matrimonium.

Possent in confirmationem dictorum plura adduci exempla latarum dispensationum a summis Pontificibus supra hoc primo gradu laterali affinitatis, ut Alexandri sexti cum Rege Lusitaniæ, Julii secundi cum Enrico VIII. Angliæ Rege, Clementis VIII. cum Casimiro Rege Poloniæ.

Neque obest, scripturam reprobare Matrimonia in hoc gradu inita, *ut*

Levit. 20. & *Amos* 2. præsertim vero *prima Corinth. Cap.* 5. *ver.* 1. inquiente Paulo : *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes ; ut uxorem Patris sui aliquis habeat*, e quibus divinis litteris manifestum videtur, jure naturali irritari Matrimonia attentata in primo vel lineæ rectæ, vel lateralis affinitatis. Neque inquam hæc obsunt, primo quia Leviticum, & Amos detestantur hujusmodi Matrimonia, non quia essent nulla jure naturæ, sed quia erant nulla jure divino positivo, ut ex eodem Levitico constat; deinde cum Paulus fornicationem insectetur, videtur potius supponere, Filios abuti uxore Patris sui viventis, quam reprehendere eos, qui eam relictam ducerent, ut & ipse Joannes Baptista Herodem arguit inquiens: *non licet tibi habere Fratris tui viventis uxorem*; unde ex citatis scripturarum Textibus nihil oppositum depromi potest statutæ veritati, quæ est, in nullo gradu affinitatem dirimere Matrimonium jure naturæ; superest igitur, ut, quæ dirimat Matrimonia, affinitas, ea solo jure Ecclesiastico dirimat: ex quo non a jure naturali, ut conspeximus, non a jure positivo divino, quod cum fuerit mere cœremoniale, a lege Evangelica abrogatum est, & in ea de affinitate nihil statutum legitur, non à civili jure, a cujus potestate avulsa est facultas constituendi impedimenta dirimentia Matrimonium, ob ejusdem elevationem ad Sacramentum; proinde superest, ut solo jure Ecclesiastico affinitas dirimat Matrimonium.

Jus autem Canonicum respiciens affinitatem, eamque comperiens oriri, tum ex copula licita, tum ex copula illicita, non ad eosdem numero gradus voluit extendi affinitas dirimens Matrimonium producta a copula illicita, ad quos præcepit extendi ea producta a copula licita, nam provenientem a copula illicita voluit tantumodo dirimere Matrimonium usque ad secundum gradum inclusive; Provenientem vero a copula licita, seu conjugali, eam produxit dirimentem usque ad quartum gradum; hæc omnia liquent. *Ex Cap.* 8. *H. T.* Nempe ex Decreto Concilii Lateranensis corrigentis antiquos Canones producentes affinitatem usque ad gradum septimum *Can.* 2. 7. 13. *Caus.* 35. *q.* 3. & novissime confirmatum est Lateranense Decretum a Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 4. *de Reform. Matrimonii*, indeque sublata est illorum opinio per idem Tridentinum citato Capite volentium, affinitatem in linea recta dirimere Matrimonium usque in infinitum, cum ab eo fiat potestas affinibus ex copula illicita, sive fornicaria, sive incestuosa, sive adulterina, aut simili alia etiam inducente affinitatem lineæ rectæ, non tantum valide, sed & licitè Matrimonia contrahendi in tertio, vel in quarto gradu; Quod similiter declaravit S. Pius Quintus Motu proprio incip. *Ad Romanum* 1566. Cum ergo hæc jura generice loquantur, nullamque interponant exceptionem lineæ rectæ, & ipsam fuisse ad secundum gradum correptam, si oriatur a copula illicita, vel ad quartum, si ex licita, & con-

conjugali, certum prorsus est, lineam rectam affinitatis in Matrimonio dirimendo non habere latiora confinia, quam superius statuta a Lateranensi, ac Tridentino Conciliis.

18. Universim tamen servandum est illud juris axioma statutum post abrogatas affinitates secundi, & tertii generis, quod est *Affinitas non parit affinitatem*, & in hac materia legendum eruditissimum *Caput 39. lib. 7. de Synod. Diœcef. Sanctæ Memoriæ Benedicti XIV.*

Carnali exposita cognatione progredi est oportunum ad cognationem spiritualem, imitantes naturam prius manifestantem humanum corpus, deinde illius spiritum. Sicut ergo ex unitate carnis æquum fuit, ut prodirent impedimenta dirimentia Matrimonium, ita decens, honestumque videtur, ut ex unitate spiritus eadem impedimenta proveniant.

Sit Sextum:

COGNATIO SPIRITUALIS.

19. In nullo manifestius conspicitur unitas spiritus, quam in Sacramentorum administratione, ac susceptione; in ea enim, qui ministrat, quasi generat suscipientem ad gratiam, suscipiensque ita unitur spiritu ministranti, ut ab eo vitam spiritualem, vel ejus augmentum, sin potestate, saltem ministerio consequi arbitretur; unde sicuti non est spectabilior unitas spiritus, præ ea, quæ in gratiæ communicatione elucet; hinc in obsequium hujus spiritualis unitatis decens fuit, ut impedimenta ponerentur, ne inter hos conjunctos Matrimonium consisteret: propterea Ecclesia decrevit, ut hæc spiritualis cognatio intercederet inter ministrantem, ac suscipientem Baptisma, quod est spiritualis generatio, atque inter ministrantem, Patrem, & Matrem Baptizati, & inter Baptizatum & eundem levantes a sacro Fonte, qui patrini dicuntur, iique cum Patre, & Matre suscepti ex sacro Fonte.

20. Cui spirituali generationi cum subsequatur nativitas, quæ per confirmationem exprimitur, *ut ex Cauf. 30. q. 1. & 3. & Trid. seff. 24. Cap. 2. de reformatione Matrimonii*, similiter statuit Ecclesia, hanc spiritualem cognationem oriri ex Confirmatione, ut ministrans fiat cognatus spiritualis confirmati, ac Patris, & Matris ejusdem confirmati, ut tenentes confirmatum, Patrini appellati, contrahant cum confirmato, & Patre, & Matre, ejusdem confirmati. Et quamvis ante Tridentinum ad plures alias personas se produceret hæc cognatio, uti *Cap. 1. H. T. in sex. Et Cap. 4. H. T. 3. & Can. 4. super quibus Cauf. 30. q. 3.* tamen & a Lateranensi, & a Tridentino correpta est hæc cognatio ad solas superius enunciatas personas *Cap. 3. H. T. & Trid. Seff. 24. Cap. 2. de reformatione Matrimonii.*

21. Hæc lineas, & gradus non habet, sed solummodo, ut diximus, contrahitur

I 2 pri-

primo a Baptizante cum Batizato, & dicitur paternitas spiritualis; contrahitur similiter ab eodem Baptizante cum Patre, & Matre Baptizati, & appellatur compaternitas: deinde contrahitur a suscipientibus e sacro Fonte cum suscepto, quæ nuncupatur & ipsa paternitas, etsi non adeo perfecta, ut illa Baptizantis; proinde non patres spirituales infantis Baptizati, sed Patrini, quasi minores Patres dicuntur, qui & ii eandem cognationem contrahunt cum Patre, & Matre ejusdem suscepti, vocaturque compaternitas.

22. Quæ dicta sunt de Baptismate, dicantur de Confirmatione, quoad numerum personarum contrahentium cognationem spiritualem, & quoad modum, quo eandem contrahunt, hoc uno servato, & pro certo habito, inter alias a recensitis personas cognationem spiritualem non intercedere, ut definivit Tridentinum superius citatum; proinde his versibus contrahentes personæ numerantur.

Baptizans, Baptizatus, Baptizatique parentes
Levans, levatus, levatique parentes.
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes
Patrinus, confirmatus, confirmatique parentes.

23. Verum quia Baptisma vel privatè, vel solemniter ministrari potest, & non eadem sit Juris dispositio, de utroque Baptismate circa personas, vel Baptizantes, vel levantes quoad cognationem spiritualem contrahendam, prætium est de quolibet dicere.

Potest enim vel necessitas, idest periculum imminentis mortis infantis urgere, quod tempus illum deferendi ad Ecclesiam non concedat, sicque Domi eum Baptizare oporteat, quo eventu, si solus Pater infantis reperiatur, illum Baptizabit, qui quamvis contrahat cognationem spiritualem paternitatis cum Baptizato, & compaternitatis cum Matre ejus; etsi Mater infantis fuerit sua uxor, non tamen præcedens Matrimonium dirimetur, neque privabitur jure petendi *Can. 7. ad limina, Causa 30. q. 1. quia* inquit *inculpabile judicandum, quod necessitas intulit*. Si verò extra necessitatem, præsentibus nempe aliis Baptizare valentibus Pater Baptizet proprium Filium, (seclusa probabili, & justa ignorantia facti, scilicet, infantem Baptizandum esse suum Filium, vel juris, idest adnexam esse pœnam privationis juris petendi huic gesto,) in pœnam privatur jure petendi. *Can. 1. & sequen. Caus. 30. q. 1.* ubi jubentur separari quoad usum tori conjuges, si ambo rei sint, alioquin pars rea jubetur manere cum innocente, & eam non fraudare.

24. Sunt tamen nonnulli arbitrantes, ignorantiam sive Juris, sive facti, etsi justam, atque probabilem non liberare Patrem baptizantem propriam prolem extra necessitatem a privatione juris petendi debitum, ex quo dicant, eam non esse pœnam, sed inhabilitatem inductam a contracta spirituali cognatione, at si res ita se haberet, idem foret dicendum de eo, qui

qui propriam prolem Baptizavit necessitate compulsus; quod cum dici nequeat *ex cit. Canone* 7. superest, ut hujusmodi privatio Juris petendi non sit inhabilitas, sed mera pœna; constetque pœnam non incurri ab ignorante; quæ tamen pœna videtur nostro Ævo tantum probabiliter vigere, ex quo *Can. cit.* videatur correctus *a Cap.* 2. *hujus tit.* in quo Pontifex ait de Baptizantibus, vel suscipientibus propriam prolem, quod *sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere:* per quæ verba cum, vel ambo rei supponantur, & tunc nullus pœnam incurrit, vel alteruter tantum, & tunc ne iste pœna puniatur, quam ambo, qui ex malitia fecerunt, merentur, & non puniuntur, patet, nullum hac pœna ligari; proinde apposite inquit Maschat *lib.* 4. *tit.* 11. *de Cognat. Spirit. n.* 11.
„ interim cum sententia ista, nempe, quod non incurratur privatio ju-
„ ris petendi, de qua supra, probabilis, & valde favorabilis sit, utilis
„ erit pro praxi: licet dispensatio ad petendum debitum sit omnino tu-
„ tior; quam in casu occulto plerique regulares dare possunt. „

25. Si autem quis Baptizaverit propriam prolem, vel ex necessitate, vel alia causa, vel etiam sine causa, sibi natam ex illegitimo connubio, hic tum cum Baptizata prole, tum cum illius Matre contrahet cognationem spiritualem dirimentem quodcumque postea Matrimonium celebrandum *Can.* 1. *& sequent. Caus.* 30. *q.* 1. *Angelic. in quart. Dist.* 42. *q.* 1. *a.* 1. *in corpore.* Cum nulla urgeat necessitas, vel justa causa suspendendi effectum annullandi Matrimonia, qui ex Jure Canonico consequitur a cognatione spirituali, precipue in hac facti contingentia, in qua æquum est in pœnam delicti, quod non possit fornicator, aut adulter fornicariam, aut adulteram ducere.

Quia vero in Baptismate privato levantes non interveniunt, & si quis Baptizatum susceperit, aut tetigerit, vel quoquam modo physice tenuerit, hic non evadet Patrinus spiritualis illius suscepti, nullamque contrahet cognationem spiritualem, neque cum suscepto, neque cum Parentibus ejus; ex quo leges Canonicæ, a quibus unice pendet cognatio spiritualis, nihil statuerint de istis suscipientibus: & præter intentionem Ecclesiæ sit, quod quidam private Baptizentur, hoc solum ex necessitate indulgens, aut ex justa causa cognoscenda ab Episcopo.

26. Ji ergo tantum contrahunt cognationem spiritualem, qui ex sacro Fonte suscipiunt Baptizatum solemniter, idest in Ecclesia, & cum omnibus præscriptis solemnitatibus *ex citat. Sess. Trident.* & præcedentibus Canonibus jam adductis; qui tamen, ut contrahant prædictam spiritualem cognationem, primo, debent a parentibus Baptizandi designari scilicet unus, vel ad summum unus, & una. *Citat. Trident. Sess.* 24. *Cap.* 2. *de reform. Matrimonii.*

27. Secundo, si nemo a parentibus sit designatus, Parochus unum designa-

 bit.

bit. Tertio, si tandem omittatur designatio, pluresque tangant, seu levent Baptizatum, probabiliter omnes contrahunt cognationem spiritualem, quod ita declarasse Sacram Congregationem Tridentini fatetur Prosper Fagnanus; probabiliter etiam nullus contrahit; cum Tridentinum doceat, neminem præter designatos contrahere cognationem spiritualem; & profecto cum sit correctorium antiquorum Canonum, qui statuebant, omnes tangentes contrahere hujusmodi cognationem, eos in nullo correxisset, si non designati, vel a parentibus, vel a Parocho, & levantes Baptizatum de sacro Fonte contraherent prædictam cognationem: nam cum justum sit, quod parentes sciant, cum quibus contrahunt spiritualem cognationem, & simul consentiant, ne cum invisis, atque indecoris cognatione vinciantur, dicere oportet, Ecclesiam noluisse oriri hujusmodi cognationem, nisi inter quos designaverunt, vel Parentes, vel Parochus; cujus Parochi designationem approbasse videntur Parentes, & quasi eorum actorem constituisse, quoties ipsi non destinaverint quemquam ad hoc munus obeundum.

28. Requiritur tertio, ut levantes intentionem habeant saltem implicitam adimplendi munus Patrini; etenim si ea carerent, neque animum habere possent contrahendi cognationem; quæ intentio debet esse directa ad unum individuum tale: nam si levantes putarent suscipere infantem Titii, & esset infans Sempronii, nisi habuissent intentionem genericam levandi præsentem, nullam contraherent spiritualem cognationem, cum honestum similiter sit, ut & ipsi sciant, & consentiant in eos, cum quibus contrahunt prædictam spiritualem cognationem.

29. Requiritur quarto, ut levantes sint fideles, seu Baptizati, qui soli subsunt juri Ecclesiastico *Can. 302. de Consecr. Dist. 4.*, proinde infidelis non est capax cognationis spiritualis, vel Baptizet, vel levet, quia nondum spiritualiter natus; propterea nec Pater, seu Patrinus spiritualis esse potest. Quod si fidelis prolem de sacro Fonte susciperet alicujus infidelis, contraheret quidem cognationem spiritualem cum Baptizato, sed non cum Patre ejus, & Matre infidelibus: unde licet postea ad fidem converterentur, non revivisceret inter hunc, atque illos ulla spiritualis cognatio, quia quod ab initio non subsistit, tractu temporis non convalescit, *ex Regula 18. in sex.*

30. Quinto, per quosdam requiritur, ut tempore Baptismi Patrini physice tangant Baptizatum; per quosdam, ut tangant tantum moraliter: quod hoc verius apparet, nam cum opinionum diversitas circa mandatarium, seu procuratorem levantem mandato, & nomine alterius infantem a sacro Fonte, num sibi, vel mandanti contraheret cognationem spiritualem, per iteratas Resolutiones Sacræ Congregationis Concilii Tridentini sublata sit, & statutum sit procuratorem, seu mandatarium non sibi, sed mandanti contrahere hujusmodi spiritualem cognatio-

tio-

tionem, definitum ex eo conspicitur, tactum physicum non requiri in levante Baptizatum e sacro Fonte.

Resolutiones porro Sacræ Congregationis Concilii Tridentini collectæ habentur in Theatina Matrimonii 13. Septembris 1711. *Tom.* 2. *Fol.* 76. *& 77. sub hoc dubio. Nicolaus de Vito uti procurator Francisci Cottogni suscepit in Sacro Baptismali Fonte Antoniam de Benedicto, cum qua modo vellet Matrimonium contrahere, obstante Ordinario, propositum fuit hoc dubium:*

An impedimentum cognationis spiritualis obstet Nicolao, quominus Matrimonium contrahere valcat cum Antonia de Benedicto in casu.

Responsum fuit NEGATIVE. =

Deinde in eadem §. *tres sunt* habetur citata una nullius 15. Martii 1631. *lib.* 14. *Decret. pag.* 398. ubi sic legitur Sacra Congregatio &c. *censuit procuratorem, qui nomine alterius suscepit, vel ad Confirmationem tenuit, non contrahere cognationem sibi, sed mandanti.* Si itaque per procuratorem contrahi possit cognatio spiritualis, apparet omnimode certum ad eam contrahendam non requiri tactum physicum; quemadmodum etiam apparet, non omnes physice tangentes eamdem contrahere, sed solos designatos.

31. Requiritur sexto, ut levantes e sacro Fonte contrahant cognationem spiritualem, quod infanti suscepto vere ministretur Baptisma; nam si tantumodo supplerentur cœremoniæ, ac solemnitates omissæ in Baptismate privato prius collato, tunc suscipientes nullam contrahent cognationem spiritualem, tum cum Baptizato, tum cum parentibus illius, ut constat in una *Leopolien. Matrimonii die* 19. *Septembris* 1761. *Tom.* 25. *Fol.* 242. definiente: *Matrimonium initum ab eo, qui suscepit Sponsam e sacris cœremoniis in Ecclesia suppletis ob privatum Baptisma prius Domi collatum Sponsæ puellæ, declaratur validum*, per quam Resolutionem præcedentes Doctorum opiniones de medio tolluntur.

32. Quæ dicta sunt de cognatione spirituali ortum habente ex Baptismate, tum quoad ministrantem, tum quoad levantes, idem dicatur de Confirmatione, tum quoad confirmantem, tum quoad tenentes: hac tamen posita limitatione, quod in Confirmatione unus tantum Patrinus admittatur, & quidem ejusdem sexus, quo est confirmandus: in Baptismate verò etiam duo admittantur, quorum unus sit Masculus, alter Fœmina; id colligitur *ex cit. Can.* 302. *de Conscer. Dist.* 4. *& Trid. citat. sess. & Can.* Num vero hic tenens debeat esse prius confirmatus, probabiliter censent debere esse confirmatum nonnulli, in eorum patrocinium adducentes Angelicum; alii cum Glossa *in Can.* 102. *Dist.* 4. *De consecratione* arbitrantur oppositum; Et quamvis citatus Canon hæc habeat, scilicet: *In Baptismate, vel Chrismate non potest alium suscipere in Filium, qui non est ipse*

Baptizatus, vel Confirmatus; tamen quia non deprehenditur, an Canon loquatur, vel ex necessitate, vel ex decentia requiri, ut tenens ad Confirmationem sit confirmatus, & nihil de eo dispositum sit in Tridentino, attenta præsertim consuetudine non inquirendi, num sit confirmatus, vel non, qui admittitur ad munus Patrini in Confirmatione (quod minime negligeretur ab Ecclesia, si ad validitatem requireretur, ut tenens ad Confirmationem esset confirmatus); propterea per hanc consuetudinem introductam censetur expositus Canon citatus de sola decentia, non de necessitate.

Quod confirmatur a pari; nam si Episcopus non fuerit confirmatus, valide confirmationem administrat, & cognationem spiritualem Paternitatis contrahit, Ergo idem dici poterit de suscipiente, seu tenente in Confirmatione, licet non confirmato; cum perfectè, etsi non confirmatus, valeat obire munia, Patrini Confirmationis.

33. Probabilis ergo utraque sententia, sed probabilior ea videtur, quæ non requirit Patrinum Confirmatum ad hoc, ut contrahat cognationem spiritualem, quousque viget consuetudo non explorandi ab Ecclesia, num sit confirmatus, quando admittitur ad hujusmodi munus obeundum. Quod, etsi Synodus Boncompagni de Confirm. jubeat, ut arceantur a munere Patrini in confirmatione non confirmati, idque confirmet *Not. 6. primi Tomi Ben. XIV.* dicens = *Chi non è Cresimato, non può esser Padrino di chi dee Cresimarsi*; = nihil obest, quin non confirmatus, si teneat, cognationem spiritualem contrahat; nam exponi possunt, ut loquentes de decentia, non autem de necessitate; quam decentiam sub gravi præcipere potuerunt, & revera præceperunt. Non autem definiendi animum habuerunt, quod non confirmatus, si teneat &c. non contrahat cognationem spiritualem: quem inquam animum habere non potuerunt, monente eodem Bened. XIV. de Synodo Diœcesana *Lib.* 7. *Cap.* 27. *num.* 1. quod non liceat Episcopis in suis Synodis, vel Constitutionibus quidquam inter Theologos controversum, & utrinque probabile definire; uti probabiles sunt expositæ sententiæ, sicuti fatetur Lacroix *lib. 6. part.* 1. *num.* 400. §. 6. inquiens: *Quamvis multi probabiliter dicant, non contrahi cognationem, si assistat non confirmatus, tamen oppositum etiam valde probabile est; si enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non assistens? Nec obstat &c.*

Et hæc de cognatione spirituali, quæ, uti diximus, cum sit unio personarum in participatione Sacramentorum, non quidem omnium, sed illorum tantummodo, quæ generationi, ac nativitati carnali assimilantur, per ea nulla major propinquitas spiritualis quam hæc exprimi potest, cujus decentiam aspiciens Ecclesia aliam similem induxit cognationem, quæ ex Matrimonio, quod & ipsum est Sacramentum, vel ex attinentibus ad ipsum, procederet; hancque appellavit justitiam publicæ honestatis.

Sit Septimum: PUBLI-

PUBLICA HONESTAS.

34. Sicuti ex unione personarum in participatione Sacramentorum voluit Ecclesia oriri cognationem spiritualem; ita ex unione animorum, quæ manifestatur in Matrimonio contrahendo, vel in iis, quæ ad Matrimonium præparant contrahendum, decrevit honestatis justitiam oriri, similiter Matrimonia posteriora dirimentem; quia justum, ac honestum visum est, non debere Matrimonia consistere inter duos, quorum alter animo conjunctus fuit circa Matrimonium ineundum cum consanguineo ipsius, cum quo præsumit contrahere: ita postulante reverentia debita Sacramento Matrimonii, in cujus obsequium Ecclesia præcepit hanc publicam honestatem; propterea publica honestas dici potest appendix, ac velut consequens ex cognatione spirituali. Hæc constant ex *Can.* 11. *& sequent. Caus.* 27. *q.* 2. *& Cap.* 3. 4. 8. *H. T. Cap. unic. eodem in sext.*

35. Duplici ex Fonte statuit Ecclesia oriri publicam honestatem, primus est Sponsalia, quæ cum sint via, & preparatio ad Matrimonium ineundum, animorum conjunctionem involvunt, quia sunt promissio reciproca de futuro contrahendo Matrimonio; propterea hac posita conjunctione noluit Ecclesia consistere Matrimonium alterutrius spondentis, cum quolibet consanguineo, vel consanguinea alterius ex Sponsis: & quidem perpetuo, itaut vel dissolvantur morte alterutrius, vel etiam mutuo consensu, aut qualibet alia causa, impedimentum durat *Can.* 11. *Caus.* 27. *q.* 2. *Cap.* 8. *H.T.* Quod confirmatum est a Declaratione Sacræ Congregationis Concilii Tridentini approbata ab Alexandro VII. Quod in ea notatu dignum est, publicam honestatem non habere vim retroagendi, uti affinitas *Cap. Unic. H. T. in sex.* Nam si E. G. ineat Titius Sponsalia valida cum Seja, deinde Matrimonium ratum cum Francisca Sorore Sejæ, quamvis ex hoc Matrimonio nullo, publica oriatur honestas, adhuc tamen ea nequit intercedere inter Sejam, & Titium, ex quo hæc secunda honestas nequit infringere primam: proinde si pœnitens facti Titius ducat Sejam, cum qua primitus inivit Sponsalia, Matrimonium valebit, nisi cum secunda fornicatus esset; quia tunc orta esset affinitas, quæ, licet subsequens Sponsalibus, adhuc ea valeret infringere, ut ex adductis *Can. de Affinitate*.

36. Ex antiquis Canonibus sponsalia quæcumque, vel conditionata, vel absoluta, vel etiam nulla, dummodo non ex defectu consensus, inducebant hanc publicam honestatem, quæ se extendebat usque ad quartum gradum. Nunc autem non eam producunt, nisi ad primum gradum, & quando Sponsalia sint absoluta, & sint valida: nam quacumque ratione invalida, publicam honestatem non pariant; hoc totum definitum habetur

ex

ex Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 4. *de Reform. Matrimonii*, moderante circa hoc quoscumque Canones præcedentes. Et confirmatur ex constitutione S. Pii V. incipiente *ad Romanum* prima Julii 1568. inquientis: „ Motu proprio, & auctoritate Apostolica declaramus, & definimus decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio sic (ut præfertur) contracto: sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat. „ A qua Constitutione habemus primo, quod Sponsalia non excedant primum gradum in producendo impedimento dirimente. Secundo, quod nomine Sponsaliorum intelligi nequeat Matrimonium Rathum, seu Sponsalia de præsenti; & deinde quoad producendam publicam honestatem relictum sit Matrimonium sub dispositione antiquorum Canonum disponentium de ipso, sicut disponebant de Sponsalibus; nempe, quod producat publicam honestatem se extendentem usque ad quartum gradum, vel Rathum sit Matrimonium, vel etiam nullum quacumque causa, dummodo nullum non fuerit ex defectu consensus: ut in iisdem ita erat dispositum de Sponsalibus.

37. Et en alter fons, nempe Matrimonium, a quo derivare publicam honestatem præcepit Ecclesia, ut ex citatis *Canonibus* 11. *& sequen. Caus.* 27. *&c. & Cap. unic. H. T. in sexto*, non correctis, sed in eorum robore relictis a Tridentino, ut docuit citatus Pius V. in laudato Motu proprio *Ad Romanum*.

38. Certum itaque ex dictis haberi debet, Matrimonium, etsi tantummodo Rathum producere publicam honestatem dirimentem Matrimonium usque ad quartum gradum. Quod idem præstat quodcumque aliud Matrimonium, etiam nullum quavis causa, dummodo non sit nullum ex defectu consensus: quamvis hujusmodi nullum Matrimonium non habeat secum adnexam copulam carnalem; nam tunc præter publicam honestatem produceret affinitatem, non quatenus Matrimonium est, sed quatenus in eo esset carnalis unio per copulam. Cæterum constat ex sola conjunctione animorum respiciente Sacramentum Matrimonii, vel attinentia ad illud, ab Ecclesia fuisse spectatam in statuenda publica honestate subsequentia Matrimonia dirimente, cum ab ea sola unione produci voluerit publicam honestatem.

Ob hanc animorum conjunctionem, quæ tanti habita fuit ab Ecclesia, factum est, ut ipsa civilem legem adoptaverit statuentem cognationem legalem inter quasdam personas sibi invicem approximantes per adoptionem, seu perfectam arrogationem, de qua nunc.

Sit Octavum:

COGNA-

COGNATIO LEGALIS.

39. Cum jus civile *Instit. de Adoptione lege penult. Cod. Eodem* indulsisset cuilibet non habenti Filios legitimos, ac naturales aliorum Filios in suos evocandi, arrogandi, aut adoptandi, ut ex lege haberent, quod illis negavit natura; & tristitiam ob carentiam Filiorum naturalium beneficio legis excuterent adoptione exterorum; ne, quod indulsisset animo exhilarandi, beneque faciendi subditis, in illorum damnum, ac perniciem verteretur ob pericula domesticæ habitationis, adjecit cognationem legalem, qua inter personas adoptione conjunctas reverentia induceretur, ne alter cum altero jungi posset per Matrimonium.

Quod & ipsum prospiciens Ecclesia, ac præcavere cupiens quæcumque pericula fornicationum, neque justum reputans abrogandi civiles leges adoptionem concedentes, in suos Canones leges ipsas civiles adoptavit; voluitque, ut jure suo proprio Ecclesiastico cognatio legalis dirimeret Matrimonium, & quidem secundum quod dirimebat ex civilibus legibus *Can. penult. Caus. 30. q. 3. & Cap. unic. H. T.*

40. Cognatio ergo legalis est propinquitas personarum orta ex perfecta adoptione, & quidem dirimens Matrimonium ex Ecclesiastico Jure.

Verum, quia adoptio ex civili Jure duplex erat, una perfecta, atque solemnis, quæ dicebatur etiam arrogatio, & alia imperfecta, & simplicis adoptionis nomine vocabatur, a prima cognatio legalis producebatur, neutiquam a secunda, ut ex citatis legibus civilibus deprehendi potest; ita Ecclesia soli primæ deferens statuit dirimere Matrimonium cognationem illam legalem, quæ ex hac prima adoptione ortum haberet.

41. Ut autem, quæ, & qualis sit hujusmodi prima adoptio, innotescat, discrimen indicabimus inter primam, & secundam adoptionem.

Omissis solemnitatibus, quibus perfecta adoptio peragebatur, ea efficiebat, ut adoptans, pater legalis evaderet adoptati, vel adoptatæ, patriamque potestatem consequeretur supra adoptatum, vel adoptatam; quod adoptatus, vel adoptata in Domum adoptantis traduceretur, illique ut reliqui Filii, si essent, subjiceretur, velut communi Patri.

Hæc in secunda, seu imperfecta adoptione non erant; propterea adoptatus non evadebat Filius legalis adoptantis, neque adoptans Pater illius, ad Domum adoptantis nec pertinebat, nec adducebatur, quemadmodum ex §. 2. *Instit. de Adoptione* manifestum est; proinde cum non vigerent causæ inducendi legalem cognationem, jus civile abstinuit ab ea inducenda in hac secunda imperfecta adoptione: hinc liquet cognationem legalem repeti oportere a patria potestate, quæ in sola prima, & perfecta adoptione conspicitur, non vero in secunda. 42.

42. Sed quia in hac personarum propinquitate genita a perfecta adoptione plures sunt lineæ, de singulis dicemus.

Prima est linea descendentium, & constituitur ab adoptante, adoptato, & Filiis, ac Nepotibus adoptati existentibus sub patria ejus potestate.

Hæc porro linea non habet ascendentes; nam majores adoptantis, nempe Pater, Avus &c. adoptantis non sunt sub ejusdem Patria potestate. In hac autem linea, quæ recta dicitur, & mere descendentalis, impedimentum dirimens Matrimonium per aliquos in infinitum producitur, per quosdam ad quartum gradum corripitur. Hic tamen recolantur dicta de linea recta consanguinitatis, quæ huic apposité conveniunt. Unde mortuo adoptato nequit adoptans in uxorem ducere Filiam, Neptem, Proneptem, & Abneptem prædefuncti adoptati. *Leg.* 14. *&* 55. *de Ritu Nuptiarum*.

43. Secunda linea est lateralis, hæcque constituitur ex una parte ab adoptato, & Filiis ejus existentibus sub Patria potestate ejusdem adoptati; Ex altera parte a Filiis naturalibus atque legitimis Nepotibus, ac Pronepotibus &c. adoptantis existentibus tempore adoptionis sub Patria potestate ejusdem adoptantis. Impedimentum in hac linea dirimens Matrimonium se producit usque ad quartum gradum inclusive: ex quo cognatio legalis in linea laterali imitetur lineam lateralem consanguinitatis, cum hac tamen limitatione, quod hujusmodi impedimentum vigeat solo eo tempore, quo istæ duæ lineæ, sive personæ harum linearum sub Patria potestate, vel adoptantis, vel adoptati morentur; nam mortuo adoptato omnes Filii ejus a Patria potestate soluti sunt, & similiter liberi adoptantis per ejusdem adoptantis mortem solvuntur a Patria potestate; proinde statim poterit adoptatus, mortuo adoptante, ducere in uxorem Filiam, Neptem &c. adoptantis & ita mortuo adoptato, adoptantis Filius ducere Filiam, Neptem &c. adoptati, similiter Filius adoptati ducere poterit Filiam adoptantis, vel unam ex reliquis descendentibus ab eodem adoptante, & contra.

Quia vero non per solam mortem solvi potest Patria potestas, a qua una radice descendit cognatio legalis, sed etiam per emancipationem, de qua civiles leges; hinc admisit etiam Ecclesia per emancipationem tolli impedimentum ex cognatione legali productum, atque ita illud non fecit esse perpetuum, sed temporaneum, pro tempore nempe, quo durat patria potestas; unde sub Patria potestate constituti, tum Filii naturales, atque legitimi adoptati, tum Filii naturales, atque legitimi adoptantis volentes inter se ipsos Matrimonium contrahere, possunt ab eorum Parentibus vel saltem ab adoptante obtinere emancipationem, qua habita, cessat quodcumque impedimentum inter eos productum a cognatione legali.

44. Dixi inter Filios legitimos, atque naturales utriusque, adoptantis nem-

nempe, atque adoptati intercedere cognationem legalem, non vero inter Filios legitimos, ac naturales unius, ac illegitimos, seu merè naturales alterius; quia, cum Filii illegitimi non subsint Patriæ potestati, ipsi incapaces sunt cognationis legalis; propterea ducere possunt, si sint illegitimi adoptantis, Filiam adoptatam, vel Filiam Filii, Neptem &c. idque e converso, si sint illegitimi, illius adoptati.

45. Quemadmodum etiam si Masculum, & Fœminam adoptasset aliquis, ut ambo essent adoptivi, ii possent inter se ipsos Matrimonium contrahere, sicut & eorum Filii respectivi, in eventu, quo adoptati fuissent jam conjugati; quia cognatio legalis non intercedit, nisi inter adoptatum, Filios naturales, ac legitimos adoptati cum adoptante ejusque adoptantis Filiis legitimis, atque naturalibus §. 10. *de Adoptionibus*.

46. Cum adoptio activa non nisi Masculis concessa sit, quia ii soli capaces habendi Patriam potestatem supra Filios, de adoptione activa Mulierum, cum hæc nonnisi imperfecta esse possit, de qua diximus, non præstat eam recensere; sed ad aliam speciem legalis cognationis exponendam procedemus, estque affinitas legalis, quæ ità se habet ad cognationem legalem, sicuti se habet affinitas carnalis ad consanguinitatem, habens & hæc lineas suas; at in sola linea recta impedimentum dirimens Matrimonium producitur, non vero in lateralibus, quæ & ab ipso jure civili non attenduntur *leg.* 14. §. 1. *D. de ritu Nuptiarum*, quod impedimentum perpetuo durat, nempe post mortem vel adoptantis, vel adoptati, quia ut inquit Mascha, non decet, ut quis uxorem habeat, quæ sibi aliquando fuit nurus, aut socrus.

Poterit tamen superstes, vel adoptans, vel adoptatus, Matrem, Aviam, vel Sororem adoptantis, vel adoptati, sicut Filiam illegitimam, vel Filiam Filiæ adoptivæ, vel illegitimam adoptantis, sive adoptati in Matrimonium sibi conjungere, ut ex universim dictis habetur. Et hæc de cognatione legali. Sed sequentes statutum ordinem, de impedimento criminis in presentiarum agemus.

Sit Nonum:

§. VII.

Crimen.

1. Pretioso, & sancto vinculo Matrimoniali insidias sæpe molitur carnis concupiscentia ad illicitos concubitus provocans conjugatos, quam heunimis sequentes pertæsi suorum conjugum, alienos, vel alienas cupiunt habere uxores; atque ex ea procedunt ad propriorum conjugum necem procurandam: quod summopere abhorrens Ecclesia sanxit contra hos delinquentes impedimentum dirimens Matrimonium, illudque certis eorum criminibus adnexuit, quæ crimina quatuor numerantur.

Pri-

Primum est uxoricidium, vel viricidium utroque conspirante.
Secundum, uxoricidium, vel viricidium cum adulterio.
Tertium, adulterium cum promissione futuri Matrimonii.
Quartum, attentatio novi Matrimonii vivente primo conjuge.

Duo prima crimina habentur *ex Cap. 1. de Conversf. Infidelium 4. & Can. 5. Si quis. Cauf. 31. q. 1.* Reliqua duo *ex Cap. 5. H. T. & Cap. 6. 7. & Fin. H. T.* per singula progrediemur.

2. Et primo, ut uxoricidium, vel viricidium utroque conspirante inducat impedimentum dirimens requiritur, ut Maritus, vel Uxor volens occidere suam, vel suum conjugem, ad effectum nubendi alteri, ille alter cooperetur physice, vel moraliter in procuranda morte illius conjugis, vel saltem id sciat, & consentiat, & quidem antecedenter ad uxoricidii, vel viricidii perpetrationem, & cum animo id præstent invicem contrahendi Matrimonium post mortem conjugis; quæ sola mortis machinatio non sufficit, nisi inde sequatur mors, qua postea secuta, statim exurgit impedimentum dirimens, ita disponente *Cap. 1. de Converf. Infidel.*; quapropter sola rathiabitio alterius de conjugicidio, licet nomine suo gesto, non sufficit; ex quo in hoc crimine non id exprimatur, sicuti exprimitur *in Cap. 23. de Sententia excommunicationis in sexto.* Decernente, eum excommunicatum, qui ratam habet occisionem Clerici suo nomine factam; proinde quia lex de hoc crimine odiosa est, libertatem cohibens nubendi, stricte interpretanda est, ut ad solos expressos casus in ea extendatur.

3. Secundo, ut uxoricidium, vel viricidium cum adulterio producat impedimentum, debet adulterium præcedere cædem innocentis conjugis: nam post cædem, non esset amplius adulterium, sed fornicatio; similiter nonnisi post mortem conjugis innocentis oritur impedimentum, quæ mors sit a conjuge adultero machinata animo ineundi Matrimonium cum complice, non vero liberius exercendi libidinem: & adulterium antecedenter commissum sit formale ex utraque parte, idest, ut partes sciant alterutram esse conjugatam; non quidem requiritur, ut de animo occidendi propriam Uxorem, vel virum, conscia, minusque consentiens sit altera pars adulterans. Hæc innotescunt *ex Can. 5. Si quis. Cauf. 31. q. 1. Cap. 6. qui Filii legitimi, & Cap. 1. 3. 6. H. T.*

Hæc duo impedimenta posita sunt ab Ecclesia ad cavendum homicidium Viri, vel Uxoris innocentis; reliqua duo nunc dicenda, posita sunt ad cavendum adulterium; propterea.

4. Tertio, ut adulterium cum promissione futuri Matrimonii inducat impedimentum dirimens, requiritur, ut sit formale, simul & materiale ex utraque parte, ut diximus de uxoricidio, vel viricidio cum adulterio; quod adulterium patratum sit eodem constante Matrimonio, quo promissio futuri Matrimonii post mortem conjugis datur adultero, vel adulteræ,

teræ, vel personæ, cum qua postea adulterium committitur; proinde non attenditur, an adulterium præcedat, vel subsequatur promissioni, aut contra; dummodo sub eodem Matrimonio constiterit promissio, & adulterium. Quod promissio sit vera, & non ficta. Quod si hæc præcesserit adulterium, non fuerit retractata, aut remissa ante adulterium. Quod tandem nedum sit acceptata promissio, sed etiam sit reciproca; etenim tacens in hac materia, quæ odiosa est, consentire non videtur: & licet sit probabile, non requiri repromissionem, quia tamen in Jure promissio non sumitur nisi ea, quæ sit utrinque obligatoria *Cap. 22. de Sponsalibus Cap. 1. de Sponsa duorum Cap. 5. Qui Clerici &c.* non habetur pro vera promissione, quæ repromissionem non obtinuit; præsertim in hac materia, in qua crimen producens impedimentum debet esse materiale, & formale ex utraque parte; nam in mere acceptante non esset illud crimen, quod est in promittente, quia licet alterius fidem acceptaret, suam tamen promittenti non daret; unde si paria debeant esse crimina, debet promissio esse æqualis in utrisque idest, habere a promissario repromissionem, ut sit promissio contemplata a citatis Juribus.

De ficta promissione non præstat dicere, aut remissa ante adulterium; quoniam istæ a Jure non reputantur promissiones; tum quia verba non plus præstant, quam intentio promittentis, & in ficta promissione desit animus in promittente; tum quia promissio relaxata, quia res per quas causas nascitur, integro præsertim negotio, per easdem dissolvitur, non amplius durat; hinc nullum potest effectum producere.

5. Quarto, ut attentatio novi Matrimonii vivente primo conjuge, sit crimen impediens, ac dirimens Matrimonium, per Canonistas omnes, vel saltem per Malchat, & Pichlerum *lib. 4. t. 7. De eo, qui duxit quam polluit per adulterium* = requiritur, ut conjugatus ineat Matrimonium cum aliqua persona suo vivente conjuge, & cum ea adulterium committat; quod vel præcedat, vel subsequatur ipsam Matrimonii celebrationem, non refert: satis est, ut hæc duo eveniant sub vita unius conjugis, prout in adulterio cum promissione &c. ut supra. Per Moralistas sola attentatio Matrimonii vivente primo conjuge, dummodo uterque sciat alterutrum esse ligatum prædicto conjugio, sufficit ad incurrendum impedimentum dirimens. Res maturius discutienda, quod nunc probabilius apparet est, ex citatis Canonibus requiri quoque adulterium ad hoc, ut attentatio Matrimonii inducat impedimentum: nam ideo inductum est, ad nempe cavenda adulteria; unde non subsistente causa, neque videtur subsistere effectus. Hanc amplectuntur sententiam Lacroix, & Sporer de impedimentis Matrimonii, nempe de Crimine.

6. Sed universim de Crimine notare liceat primo, solos Fideles hoc impedi-

dimento ligari; quod si infidelis crimen hujusmodi admiserit in infidelitate cum aliquo Fideli, veniens ad Fidem, non poterit complicem habere in conjugem; quia tunc ambo sunt fideles, & verificatur eosdem crimen tale admisisse, per quod dirimitur Matrimonium saltem respective ad eum, qui erat fidelis tempore perpetrati delicti; Quod si ambo fuissent infideles tempore admissi delicti, quia neuter eorum subditus erat Ecclesiæ, non fuit delictum subjectum Ecclesiæ dispositioni, & cui illa potuisset adjicere impedimentum.

7. Secundo incurri hujusmodi impedimentum ab ignorantibus illud, quia nedum est pœna, sed etiam inhabilitas *ex Canonib. Causa 31. Q. 1. & H. T.* dummodo delictum in complicibus fuerit materiale, & formale, quamvis Pichler *cit. lib. & tit. n. 6.* probabile censeat impedimentum criminis non incurri ab illis, qui ignorant illud suo delicto esse adnexum a jure: adducens copiam Doctorum, hanc sententiam strenuè defendentium, scilicet hoc impedimentum esse meram pœnam, vel principalius pœnam, deinde inhabilitatem; propterea cessante principali, inquit ipse, cessat & accessorium; hinc cum pœna ab ignorante non incurratur, neque incurri hoc impedimentum ab ignorantibus, adnexum esse eorum crimini; tamen, etsi hanc opinionem reputemus commodiorem, tamen veram non censemus; cum e converso res se habeat, nempe hoc impedimentum sit principalius inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, deinde minus principaliter sit pœna, pari modo, quo affinitas in gradibus prohibitis ex illicita copula, quæ principalius est inhabilitas, vel hanc producit, deinde est pœna; quapropter non repugnat, ut subsistat inhabilitas, non subsistente pœna: idque in pluribus irregularitatibus ex delicto conspicitur, quæ licet sint pœnæ, cum sint etiam inhabilitas ad ministrandos Ordines, incurruntur ab ignorantibus; ex quo non deceat, ut ministrent post ea delicta perpetrata; quemadmodum non decet, ut post alterutrum ex criminibus expositis quis habeat in uxorem suam illam, quæ fuit complex.

Hanc sententiam tuetur Maschat *cit. lib. t. &c. n. 7.* addens „ Quia vero opposita sententia satis est probabilis, servire potest Confessario pro illo casu, quo impedimentum est occultum, & adulteria, vel homicidia in futurum non pendent. „

De impedimento criminis, qui plura desiderat, Theologos adeat Morales, nos interim.

Sit Decimum:

§. VIII.

§. VIII.

Cultus disparitas.

1. Cum ex Matrimonio individua vitæ consuetudo inter conjuges derivet, hæcque involvat communicationem officiorum, inter quæ primum est religio, seu cultus alicujus Numinis; si diversum Numen colant, maritalis societas ægre servatur; idque deprehenditur etiam solo naturali lumine inspecto; quod clarius lucet ex positivo divino Jure *Deut. Cap. 7. & secunda ad Corinth. Cap. 6.* Prohibente connubia Fidelium cum Infidelibus: quod divinum jus prospiciens Ecclesia statuit, cultus disparitatem, nedum efficere illicita, sed etiam invalida Matrimonia; & hoc per traditionem sancte semper in eadem Ecclesia custoditam, potius quam per Decretum aliquod, aut Canonem; hinc Jure Ecclesiastico tradito cultus disparitas dirimit Matrimonium.

2. Cultus autem disparitas non hic sumitur pro accidentali disparitate; sed pro substantiali, nempe prout unus est Baptizatus, alter non; vel postea sit Judeus, Gentilis, vel Turca, non quæritur; propterea Sacra Tridentini Concilii Congregatio definivit in Neapolitana Matrimonii die 1. Septembris 1714. *Tom. 9. Tertiæ partis Fol. 93. Quod Matrimonium iniri nequit a muliere carente attestatione Baptismatis, nisi Baptizetur sub conditione.*

Quod si Infidelis veniens ad Fidem Baptizetur, velitque contrahere Matrimonium, num conjugem reliquerit in infidelitate, quærendum est; qui relictus interpellari debet antequam decernatur per Baptisma solutum Matrimonium in infidelitate contractum, ita decrevit *Sacra Tridentini Congregatio 17. Januarii 1722. in Florentina Tom. 2. Fol. 116. proposito hoc dubio: Anna Medicea Baptismum recepit una cum quatuor Filiis, quæ jam in Judaismo contraxerat Matrimonium cum Abramo Barda Hebreo, a quo tamen juxta ritum Hæbreorum jamdiu libellum habuerat repudii; hicque cum in longinquas abierit regiones, sub dubio etiam nec ne vivat adhuc; ipsa vero promptam habeat occasionem nubendi cum fideli, & periculum sit in mora. Dubitatur primo an de Jure necessaria sit interpellatio in casu &c. & quatenus affirmative; secundo an stantibus circumstantiis indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu &c.*

Resp. ad utrumque AFFIRMATIVE.

Responsionis ratio petita est ab Apostolo *Cap. 7. ad Corinth. Nam cæteris ego dico &c.*

Neque quidquam confert pro solutione Matrimonii libellus repudii acceptus, & datus in Judaismo, cum hic fuerit a Christo Domino etiam Judeis sublatus, & Matrimonium Judeorum remissum in statu naturæ, in quo est indissolubile, *ut ex citata Resol. §. haud urgente.* K 3.

3. Diximus, impedimentum disparis cultus versari tantummodo inter Baptizatum, & non Baptizatum, non vero inter ambos Baptizatos, licet alter eorum evaserit, vel Apostata a Religione, vel Hæreticus; inter quos licet, ordinarie loquendo, Matrimonium sit illicitum, & quidem graviter *Can. 15. & sequent. Causa 28. q. 1. & Cap. 14. de Hæreticis in sexto*, tamen quia utrique Baptizati sunt, proinde subditi Ecclesiæ, validum inter se ipsos inire possunt Matrimonium.

Necesse tamen est, si Catholicus cum Hæretica, vel contra velit Matrimonium inire, ut facultatem obtineat, quæ ut monet Maschat *lib. 4. t. 1. de Spon. &c. n. 76.* „ Semper tamen expetenda est, non ab Episcopis, sed „ a Sede Apostolica, ut decisum fuisse testatur a Congregatione Sancti „ Officii Cardinalis Albitius *de Inconstantia in Fide Cap. 36. n. 164. &c.* „ Cæteroquin dicta facultas concedi nunquam solet a Sede Apostolica, sine „ adjectis quibusdam conditionibus, & oportunis cautelis, relatis a Be- „ nedicto XIV. in Epist. ad Primatem Regni Poloniæ. *Magnæ nobis* 8. *Ju-* „ *nii* 1748. ut in ejus Bullario Romæ impresso *Tom. 2. p. 414. & seq.* „ *ac lib. 9. de Synodo Diœces. Cap. 3.* „

4. Sicuti ergo conjugalis societas non bene congruit cum disparitate cultus, & ex ea, vel propter eam dirimens Matrimonium interposuit Ecclesia; ita quia vis, & metus adigentes contrahere Matrimonium, vel quia contrahentium consensum non obtinent, vel etsi habeant, societatem conjugalem faustam, ac lætam non ominentur, sed tristem, atque rixosam congruere; visum non est Ecclesiæ sub naturali jure dimittere Matrimonia vi, & metu contracta; quin opportunum censuerit, statuere aliqua Matrimonia esse nulla, quæ cæteroquin valida essent jure naturæ, si contrahantur cum quadam specie metus; hinc de impedimento vis, & metus necessaria scitu exponemus.

Sit Undecimum:

§. IX.

Vis, & metus Matrimonium dirimentes.

1. VIs itaque, cum sit coactio omnimoda, & corporalis de præsenti illata reluctanti, qua cogitur aliquis ad ponendum signum univocum consensus conjugalis, uti esset porrectio manus, patet, quod ipsa non habet secum interiorem consensum illius, qui cogitur, hæcque quia est absoluta, omnimode dirimit Matrimonium, vel rectius, hæc efficit, ut nequeat Matrimonium pertingere ad suam validitatem; idque jure naturali, cum ex eodem Jure nulli sint contractus omnes, in quibus deficit interior contrahentium consensus.

Cum autem vis non semper habeat omnimodam coactionem de præsenti illatam, sed meram quandoque mentis trepidationem involvat, quæ tunc

tunc dicitur vis conditionalis, seu metus: hicque natura sua non tollat verum, validumque consensum in rem, ex metu factam, & in plures species scindatur; in quibus omnibus, etsi jure naturæ valeret Matrimonium, sicuti valent quilibet alii contractus, ut definitum habetur in *Augustana nullitatis Matrimonii* 20. *Januarii* 1759. *Tom.* 23. *Ref. Sac. Congreg. fol.* 4. per hæc: scilicet, *Matrimonium initum vi, & metu, non declaratur nullum, ex defectu consensus*. Non tamen hæc vis condirionalis, quæcumque illa sit, habet adnexum ex Jure Ecclesiastico impedimentum dirimens Matrimonii, sed tantum in quibusdam suis speciebus.

2. Opportunum hic esset recolere dicta in Actibus humanis de metu, quoniam metus, ac vis conditionalis in jure sunt synonima *l. prima ff. de eo, quod metus causa &c.* proprerea in sermone procedentes metus vocabulo utemur, morem gerentes Expositoribus sive Theologis, sive Canonistis.

Supposita inquam notione specierum metus, dicimus, metum gravem injustum a causa libera incussum ad extorquendum consensum in Matrimonium, ita illud vitiare ut dirimat; quod statutum habetur *Cap.* 14. 15. 28. *H. T.* quo firmato jure voluit Ecclesia plenam libertatem, atque spontaneitatem asserere Matrimonio: prospiciens arduitati vitæ conjugalis, ac significationi conjunctionis voluntariæ Christi cum Ecclesia, ac providere tristibus, atque infelicibus eventibus, qui ex meticulosis Matrimoniis sequuntur.

3. Quis, & qualis sit metus gravis, vel ab intrinseco, aut ab extrinseco; qui justè incussus, qui injustè, innotescit ex actibus humanis; unde solus metus gravis, seu justus, non incussus a causa necessaria, seu ab intrinseco, sed a causa libera, seu ab extrinseco, quæ, vel potestatem non habeat metum incutiendi, vel justam rationem, seu causam non habeat eumdem metum incutiendi, ille est, cui a jure Ecclesiastico adnexum est impedimentum dirimens Matrimonii; vel hic metus incussus sit ad extorquendum consensum in unam determinatam personam, vel in unam indeterminatam ex pluribus determinatis; cum per hujusmodi metum tollatur plena libertas volita in contrahentibus Matrimonium tum a citatis Canonibus, tum a Tridentino. Et confirmatum a Congregatione Trid. Concil. in *Triventina nullitatis Matrimonii* 14. Maii 1746. & in *Baren. nullitatis Matrimonii* 16. Martii 1754. *Tom.* 18. *Fol.* 25. 42. inquiente, *Matrimonium est nullum, si initum, sit a carceratò per vim & metum illatum a Curia Baronali* = quia illa potestatem non habet incutiendi metum ad effectum, ut quis contrahat Matrimonium, & si fortasse habere posset justam causam.

4. Verum si metus fuerit quidem gravis injuste incussus a causa libera, sed non directe incussus ad extorquendum consensum in Matrimonium, seu alio fine, quam ad extorquendum Matrimonium, & comminatum

malum per metum vitari nequeat moraliter a metum passo, probabilius censebant plures Theologi, ac Canonistæ, ex hoc metu procedere impedimentum dirimens, contra nonnullos alios oppositum arbitrantes. At questio soluta per Resolutionem Sacræ Congreg. Trid. in *Triventina nullitatis Matrimonii* superius citata *Tom.* 12. *p. secunda*, inquientem; *Matrimonium initum ab eo, cui falso opponebatur stuprum a Sponsa, & carcere squalido detinebatur, licet non exequeretur ejus consensus, sed ipse potius obtulerit ad eradendum carcerem, nullum declaratur. Fol.* 154. *&* 157.

In qua Resolutione patet, illatum metum seu malum squalidi carceris non fuisse directè inflictum ad extorquendum consensum; quia nunquam a Curia fuit requisitus, sed merè oblatus a metum passo; & tamen subsequens inde Matrimonium fuit declaratum nullum; propterea nunc questioni locus non ceditur: an recensitus metus invalidet necnè Matrimonia, sed certo constat invalidare.

5. Momenta, quæ moverunt Sacram Congregationem ita definiendi, ea fuerunt, quæ referebantur a patronis primæ sententiæ; quorum præcipuum erat libertas plena, & securitas servanda in Matrimonio contrahendo; quam ad illius valorem postulant tam citata *Capita H. T.* quam Tridentinum; quæ libertas integra non superest, atque inoffensa ab hujusmodi metu, licet incusso, alio fine, quam ad extorquendum consensum: dummodo moraliter alia via comminatum malum per dictum metum vitari non possit.

6. Quamvis ex recensitis metibus prodeat impedimentum dirimens, tamen non est perpetuum, sed tamdiu durat, quousque purgetur metus, vel per spontaneam cohabitationem metum passi cum incutiente metum in formam Matrimonii, quæ adeo longa esse debet, ut firmum prebeat argumentum liberi posterioris consensus præstiti a metu passo, vel saltem a Judice stabilienda; tum per voluntariam copulam nullo metu, aut errore præstitam, quæ & ipsa similiter est argumentum liberi consensus metum passi, quoties non præsumatur ex qualitate personæ, voluisse metum passum admittere fornicationem; vel tandem ex errore invincibili de nullitate Matrimonii procedere. Uno verbo res tota absolvitur: videlicet impedimentum dirimens productum a metu, non tollitur, nisi per liberum, ac spontaneum consensum postea dandum (vel privatim, si occultus fuerit metus, vel publice, idest iterum coram Parocho, & Testibus, si fuerit publicus tempore celebrati Matrimonii *Tom.* 3. *Res. S. C. Fol.* 191. *in Reatina* 13. *Julii* 1725.) a metum passo illi, cum quo per vim, & metum contraxit Matrimonium, ita *ex Cap.* 21. *H. T. & Arg. Cap.* 30. *H. T.* unde hoc mente servato, non refert de hujusmodi impedimento plura dicere; satius est, ad reliqua progredi, quorum

Sit Duodecimum:

§. X.

§. X.

Ordo.

1. Antequam castitatis Votum sacris Ordinibus esset adnexum (quod inde factum est septimo labente seculo) Apostolica, vel saltem Ecclesiastica traditione servabatur, sin in omnibus Ecclesiis, saltem in plerisque, præsertim in Romana, cœlibatus ac continentia a Sacerdotibus, ac Diaconis: num vero etiam a Subdiaconis, dubia res est, ut post susceptos Ordines, si Matrimonium inire tentassent, illud irritum decerneretur; atque Ecclesiastica sententia a subintroductis uxoribus separarentur. Quorum *Tomus* 4. *Fol*. 26. Christiani Lupi, fidem præstat. Verum quia nunc tres Ordines, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, ac Præsbyteratus inseparabiliter nexum habent Castitatis Votum, locus non patet disserendi speciatim de impedimento Ordinis; cum satis de Voto superius dictum sit.

2. Quæ tamen de eo notátu digna sunt: Primo sunt, ordinatum invalide, non affici impedimento dirimente ad Matrimonium contrahendum; nam vel impedimentum ab Ordine, vel a Voto Ordini adnexo proveniat, quia tamen votum est accessorium Ordinis, primo, nempe Ordine, corruente, corruit & Votum; unde non ratione Ordinis exurget impedimentum, quia invalide collatus, propterea nullus; non ratione Voti, quia illud non habetur ut validum, nisi prout connexum cum valida collatione, ac susceptione Ordinis; à neutro proinde exurget hujusmodi impedimentum.

Secundo sunt, infantem ad Sacros Ordines promotum non ligari lege continentiæ; propterea nullum contrahere impedimentum dirimens Matrimonium: tum quia non censetur Ecclesiam voluisse hujusmodi infantem ligare lege continentiæ, ac subjicere huic impedimento vi collati Ordinis, ne eum adigeret ad statum, ad quem suscipiendum, quilibet liber esse debet: tum quia in susceptione dicti Ordinis non intervenit expressa, neque implicita emissio Voti, quia habita a non habente usum rationis; si autem hic infans rationis usum inde adeptus expresse, vel tacitè ratham habuerit suam ordinationem, nempe munia Ordinum susceptorum libere exercendo, notitiam habens de lege continentiæ servandæ a promotis ad dictos Ordines, tunc & ipse eadem ligabitur, & simul incurret impedimentum dirimens Matrimonium.

3. Quæstio tamen est, si impubes ratione polens valide ordinetur, num hic ita ad castitatem servandam ligetur, ut irritum futurum sit quodcumque ejus Matrimonium. Estque & eadem quæstio de ordinato per metum.

Qui censent ligari, ita Ordinatos lege continentiæ, & affici impedimento

 diri-

dirimente, hac nituntur ratione, quia, inquiunt, ita ordinati possunt validè emittere Votum castitatis; nam & impubes, & metum passus, scientiam, ac libertatem sufficientem habent ad validè vovendum; Ergo non est, cur, dicatur eos non ligari lege continentiæ, & affici ab impedimento illi adnexo.

Qui oppositum arbitrantur, dicunt, ex causa immaturi judicii, vel metus injustè incussi Ecclesiam relaxare suas leges; proinde non ratione Ordinis suscepti eos ligari impedimento, non ratione Voti, quia, licet illud jure naturali sit validum, non est tamen ab Ecclesia ita alligatum Ordini, ut valeat dirimere subsequentia Matrimonia; nam Ecclesia illud tantum decrevit, & acceptavit Votum, quod omnimoda libertate voventis emissum esset; pari modo, quo non habet ut validum consensum Matrimonialem, qui ab omnimoda libertate consentientis non procedat; cum eæ rationes militent pro statu clericali, quæ pro statu conjugali. Utraque sententia probabilis, probabilior tamen secunda videtur.

4. Tertio si conjugatus, inscia, vel invita uxore ordinetur, etsi ordinatio valeat; præcedens tamen ejus Matrimonium non irritatur; quinimmo uxor ad libitum potest Maritum ordinatum revocare ad solvenda debita Matrimonialia; licet ille vi emissi Voti nequeat debitum ab uxore postulare. *Arg. Cap. 3. de Conv. Conjug.*

Si autem intercesserit legitimum divortium inter ipsos, & Maritus innocens fuerit sacris initiatus, illa tenebitur emittere votum castitatis, quemadmodum & illa, quæ consenserit Maritum suum ita initiari; quod votum perpetuò servare tenebitur etiam mortuo Marito Clerico in Sacris constituto; idque in reverentiam sacrorum Ordinum. Quod Votum, licet simplex, adhuc dirimet Matrimonium ex Ecclesiæ dispositione *Can. 10. & seq. dist. 28. & Can. 14. dist. 32.* Nisi tamen vi, & dolo, aut metu gravi hujusmodi consensus fuerit obtentus, ne delicto alieno innocens prægravetur.

Quia Ordo sacer devovet Deo personas Ordine insignitas, easque Deo ligat, atque ideo dirimit posterius ipso quodcumque Matrimonium, similiter quia Matrimonium ligamen est, atque vinculum duarum personarum ad invicem, ita eas ligat, ut eo durante nequeant aliud validum Matrimonium inire: quod vinculum appellatur impedimentum ligaminis, de quo nunc.

Sit Decimum Tertium:

§. XI.

§. XI.

Ligamen.

1. Ligaminis itaque impedimentum non ab alio procedit, quam a valido præcedenti Matrimonio, quo eo durante, ideſt ambobus conjugibus viventibus aliud Matrimonium ab alterutro ipſorum valide cum alia, vel alio iniri nequeat *Cap.* 1. 2. 3. *Fin. H. T.* Quinimmò hujuſmodi impedimentum dirimens, nedum a jure Eccleſiaſtico, ſed a naturali, & divino deſcendit; juris enim naturalis eſt conjunctio unius viri cum una Muliere; & quia æquale jus eſt in utriſque ſupra ceſſa corpora in uſum Matrimonii, ſicut vetat jus naturale primarium, Mulierem habere plures viros, ita ex hac juris æqualitate prohibetur mulierum pluralitas, ſeu poligamia; unde ſupereſt ſolum, ut licita ſit, ac valida jure naturæ conjunctio unius viri cum una Fœmina: atque inde hoc patefecit jus divinum *in Gen.* inquiens, *erunt duo in carne una.* Et quamvis poligamia, ſeu pluralitas mulierum conceſſa fuerit Veteribus Patriarchis ob cauſas tunc legitimas, iis tamen ceſſatis, Chriſtus Dominus in priſtinum jus naturæ revocavit Matrimonium, abrogando etiam repudii legem; propterea poſt evulgatum Evangelium Matrimonium validum conſiſtere nequit, etiam de jure naturæ, niſi inter unicum virum, & unicam Fœminam; a quo ita ligantur, ut quouſque perſeveret, nulla fiat quæcumque Matrimonia impoſterum attentata, vel contrahentes iſti Fideles ſint, vel infideles. Quod ſi a quibuſdam Pontificibus pluralitas uxorum ante Tridentinum conceſſa videatur, tamen nihil obſtat, quin juris naturæ, ac divini ſit, Matrimonium validum eſſe non poſſe, niſi inter unum, & unam, & eo durante ligatos permanere indiſſolubili vinculo, quo neuter eorum poſſit ad alia Matrimonia procedere; nam ii Pontifices vel ſub dubio locuti ſunt, vel tantæ rei gravitatem præ oculis tunc non habentes quædam indulſerunt, quæ concedi non poſſe Deus ipſe revelavit impoſterum, idque in Tridentina Synodo; quæ divinæ Traditionis apices intuens definivit; quamcumque poligamiam ſimultaneam opponi juri naturali, ac divino, & Matrimonium eodem naturali, ac divino jure eſſe indiſſolubile *Seſſ.* 4. *Can.* 2. ita ſe habente: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Propterea Sacra ejuſdem Tridentini Congregatio in *Tapien. Matrimonii* 12. Decembris 1733. *Tom.* 6. *Fol.* 181. & 225. inquit, *Matrimonium ſecundum, ut permittatur, debet conſtare de morte prioris conjugis.* Et in *Eyſtedien. Matrimonii* die 21. Junii 1732. *Tom.* 5. *Fol.* 336. inquit: *Matrimonium contractum ſub conditione diſſolubilitatis, quatenus uxor a Catholica orthodoxam Religionem non amplecteretur, nullum fuit declaratum.* E quibus duabus Reſolutionibus habetur

betur primo; Matrimonium validum constare non posse, nisi cum uno Viro, & cum una fœmina; secundo appositam conditionem dissolubilitatis repugnare validitati & substantiæ, Matrimonii: quibus positis apertè colligitur, quousque durat Matrimonium validum, ita ligari conjuges, ut invalide secunda Matrimonia ineant; sed de impedimento Ligaminis satis sint dicta.

Essent hoc loco exponenda hęc duo impedimenta, nempe publicæ honestatis, & affinitatis; sed quia hæc evolvimus de impedimento cognationis, cujus duæ species sunt publica honestas, & affinitas; ab his proinde hic repetendis absolvimur, atque ita citius ad aliud progredimur, quod est impotentia.

Sit Decimum Quartum:

§. XII.

Impotentia.

1. Impotentia prout dirimens Matrimonium non ea est, quæ universim sumitur pro inhabilitate ad quoscumque actus, sed solum pro inhabilitate coeundi, non vero generandi; cum per hanc solam jus traditum, atque acceptum in Matrimonio fraudetur suo effectu; quapropter, si quasdam circumstantias sibi adnexas habuerit impotentia hæc, dirimet Matrimonium quodcumque post ipsam celebratum, tum jure naturali, tum divino, tum Ecclesiastico, ut ex *Cap. 1. & 2. H. T.*

2. Circumstantiæ porro, quæ impotentiæ esse possunt junctæ, plures sunt; quædam, quæ involvant impedimentum perpetuum, quædam tantummodo temporale.

3. Prima circumstantia est, si impotentia tolli nequeat per media naturalia, & licita, vel nonnisi difficilime, præsertim si cum probabili periculo mortis, etsi tolli posset per miraculum, aut maleficium. Hæc circumstantia decernit, impotentiam esse perpetuam: quæ si præcesserit Matrimonium, illud omnino irritabit, ut aperte est definitum in citatibus Capitibus.

4. Secunda circumstantia est, si impotentia tolli possit per media naturalia, seu ordinaria, & licita absque periculo mortis, aut morbi gravissimi: quæ media esse possent ars Medica, spirituales Ecclesiæ exorcismi, præces, atque hujusmodi; quæ media ideo ordinaria dicuntur, quatenus ad manus Fidelium omnium esse possunt. Hujusmodi circumstantia non efficit illam impotentiam capacem dirimendi subsequens Matrimonium, sed tantum suspendit actum, seu exercitium juris Matrimonialis, & obligat impotentem ad ea naturalia, seu ordinaria media ponenda pro ipsa expellenda. Præter adducta jura ratio ipsa hoc suadet; nam affectus hujusmodi impotentia habet in manu sua eam removendi; Ergo

su-

sincerè, ac serio contrahens Matrimonium cedit alteri jus in corpus proprium, quod est, sin proxime, saltem remote aptum ad actus conjugales, & est in potestate ejusdem impotentis illud efficere de remote, in proxime aptum; Ergo per hujusmodi impotentem vitiari nequit subsequens illi Matrimonium. Hæcque impotentia dicitur temporalis, unde liquet impotentiam temporalem non dirimere subsequens Matrimonium.

5. Tertia circumstantia est impotentia ad omnes, & quascumque personas diversi sexus, ut cum nulla earum impotens coire possit, quæ impotentia dicitur absoluta, quæ si fuerit perpetua, satis est evidens, eamdem dirimere quodlibet subsequens Matrimonium.

6. Quarta est, si hæc impotentia non fuerit, nisi cum una, vel altera persona determinata, ob nempe disparitatem ætatis, vel corporum improportionem, quæ impotentia dicitur respectiva; hæc inter quos intercedit, si perpetua fuerit, si nullo ordinario medio tolli possit, dirimet inter ipsos subsequens Matrimonium: quod ex adductis juribus constat, & momenta metus respective gravis proportione servata militant, etiam pro impotentia respectiva.

7. Quinta est, circumstantia temporis: num scilicet impotentia sit antecedens ad celebrationem Matrimonii, vel eidem superveniens, & consequens. Nam si fuerit antecedens, & perpetua (vel absoluta postea, vel respectiva) semper dirimet quodcumque Matrimonium celebrandum, ut clarum est ex modo dictis, & naturali ratione suadetur; etenim quo tempore celebratur Matrimonium, non est in potestate impotentis tradendi jus expeditum in corpus suum alteri ad actus conjugales, cum ille corpus non habeat habile ad hujusmodi actus, nec proxime, nec remote; minusque sit in ejus potestate efficiendi illud proxime aptum, ut validitas postulat Matrimonii.

Si autem impotentia supervenerit inito Matrimonio, hæc non dirimet sibi præcedens Matrimonium; non enim tanti valet impotentia subsequens, ut valeat Matrimonium sibi præcedens infringere, sicut ex sæpe adductis Textibus constat; & indissolubilitas Matrimonii a jure naturæ orta prævaleat impotentiæ supervenienti; neque enim postulat Matrimonium, ut, quousque durat, ad conjugales actus serventur apti conjuges; satis illi est, si quo tempore fuit celebratum, contrahentes fuerint habiles.

8. Sexta circumstantia, est causa producens impotentiam, quæ, vel potest esse naturalis, vel accidentalis: si fuerit naturalis, ex inaptitudine E. G. corporis, vel ex defectu partium &c. quoniam hæc plerumque tolli nequit, vel illi subveniri, si antecedens &c. dirimet Matrimonium.

Si fuerit accidentalis, vel ab extrinseco inducta impotentia E. G. ab intemperie humorum proveniente ex repentino morbo, a quo spes est evadendi, vel ab extrinseco nempe maleficio, quod sine novo maleficio dis-

dissolvi possit, hæc causa accidentalis non inducet, nisi impotentiam temporaneam, proinde non dirimentem subsequens Matrimonium; quin potius censeatur hæc causa solum inducere temporaneam suspensionem potentiæ, seu habilitatis ad actus conjugales; nisi inquam, & morbus fieret perpetuus, vel maleficium dissolvi non posset præterquam per novum maleficium: quo eventu inducta impotentia haberi deberet ut perpetua.

Solent Doctores occasione hujus impedimenti impotentiæ plures movere quæstiones, vel circa Emaufroditos, vel de conjugum cohabitatione post superventam impotentiam, vel de modo solvendi Matrimonia ex causa impotentiæ, quæ vel propriæ sunt exterioris Fori, vel ex dictis facile solvi possunt; quodsi in iis obscurum quidquam supersit, evolutum fere omne conspicietur a Benedicto XIV. *lib.* 13. *de Synodo Diœcesana Cap.* 11. proinde in hoc non licet ulterius immorari, sed ad sequens impedimentum progrediendum.

Sit Decimum Quintum:

§. XIII.

Raptus.

1. Raptus itaque est violenta abductio Fœminæ invitæ de loco ad locum Matrimonii contrahendi causa; Secundum antiquos Canones *Causa* 36. *q.* 2. Matrimonium irritabat inter raptorem, & raptam, si rapta non fuisset prius raptori desponsata: *Cap.* ut vero 7. *& 1 in. de Raptorib.* concedebat, ut validum Matrimonium inter raptorem, & raptam, dummodo illa libere consentiret, quamvis adhuc esset in potestate raptoris. Verum Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 6. *de Reformatione Matrimonii* declaravit invalidum quodcumque Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu in potestate ipsa maneat ejusdem raptoris, licet post raptum illa sponte consentiat in raptorem.

2. Hoc impedimentum licet fundetur in naturali jure, tamen merum Ecclesiasticum est, presertim quo ad eam partem, qua declaratur invalidum Matrimonium inter raptorem, & raptam, si post raptum spontè, ac libere ipsa consentiat; nam præciso jure Ecclesiastico nihil haberet oppositum suæ validitati juris naturæ; nihilominus Tridentinum consulere intendens libertati Matrimonii antiquos Canones ampliavit simul, & correxit, decernens intercedere hujusmodi impedimentum inter raptorem, & raptam; & si hæc Prostituta, aut etiam illius Sponsa; & inde aliis pœnis affecit raptores, consulentes, auxilium præstantes &c. inquiens: „ Nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, „ & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infa- „ mes, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de pro-

„ prio

„ prio gradu decidant. Teneatur preterea raptor Mulierem raptam sive
„ eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare. „

3. Hoc tamen impedimentum non est perpetuum, sed tamdiu solum durat, quamdiu rapta est in potestate raptoris; nam si loco tuto restituatur illa, & existens in hujusmodi loco sponte in raptorem consentiat, validum erit Matrimonium, ut ex eodem Tridentino.

4. Quemadmodum etiam ex raptu non exurgit impedimentum prædictum, si raptui consenserit rapta; nam tunc violentia non illi, sed parentibus ejus infertur, neque per hunc raptum Matrimonii libertas minuitur; etenim volenti, & consentienti non fit injuria, remque ita esse definivit Sacra Congregatio Tridentini in *Ruben. Raptus, & Censurarum* 3. Martii 1714. *Tom.* 9. *tertia part. Fol.* 92. inquiens: *Raptus puellæ consentientis non obstat, licet ad cautelam sit absolvendus Raptor ab Excommunicatione*, ex qua Resolutione colligitur: Raptum puellæ consentientis, etsi certo non invalidet subsequens Matrimonium, tamen probabiliter habere adnexam excommunicationem latam à Tridentino contra raptores.

5. Num vero exurgat hoc impedimentum si rapiens fuerit Fœmina, & raptus Vir, diversa opinantur Auctores; quod probabilius apparet, est, ab hujusmodi raptu non oriri præfatum impedimentum; cum id in Tridentino non exprimatur, neque ratio eadem militet pro Fœmina rapiente, quæ militat pro Viro. Legesque odiosæ, qualis est hæc impedimentorum, de casu ad casum, etsi eadem militasset ratio traduci nequeant. *L.* 4. 5. *ff. de legib.* Ex quo deprehendi potest, legem raptus extendi non posse ad Sponsalia, de quibus nihil statuit Tridentinum, quoad raptorem, ac raptam; unde si jure naturali sint valida, etiam inita ab ea, quæ est in potestate raptoris, quemadmodum valida sunt; cum non obligent ad Matrimonium in raptu celebrandum, sed extra; sintque ad instantiam raptæ rescindibilia, non est, cur dicantur comprehensa in Decreto Tridentini irritante quodcumque Matrimonium initum inter raptorem, & raptam, quousque illa maneat in potestate raptoris.

6. Quamvis aliqua ex parte cautum videretur, per appositionem impedimenti raptus, ne infausta Matrimonia inirentur; tamen ex eo, quod Matrimonia non sint nulla, si raptui mulier consentiat, & raptus hujusmodi faciles sint, ut abscondantur; unde supersit dubium, num hujusmodi fugientes inierint necnè Matrimonium, vel potius in concubinatu vivant, prætium fuit operis, ut salutari Decreto statueret Ecclesia, Matrimonium quodcumque celebratum absque præsentia Parochi, ac duplicis Testis foret invalidum: qua Parochi, & Testium præsentia certior evaderet ipsa Ecclesia de statu, ac Matrimonio cujuslibet; presertim cum ad ipsam solam Ecclesiam pertineant quæcumque causæ Matrimoniales. De hoc itaque impedimento præcipua recensebimus.

Sit Decimum Sextum: §. XIV.

§. XIV.

Defectus præsentiæ Parochi, & Testium.

1. Expositioni hujus impedimenti, quod a Canonistis evolvitur sub titulo de Clandestina Desponsatione, præmitti solet enumeratio eorum, quæ præcedere debent ad celebrationem Matrimonii; ne saltem improprie Clandestinum dicatur: Et primo, postquam constet Parocho de animo volentium invicem Matrimonium contrahere per illorum scrutatam voluntatem secundum præscriptas leges, tum Ritualis Romani, tum Synodorum Diœcesanarum, præsertim Bononiensis nempe Eminentissimi Boncompagni, & Institutionum Benedicti XIV. procedere debet Parochus ad faciendas denunciationes illius futuri Matrimonii tribus diebus Festis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnia, *ex Lateranensi Cap. Fin. H. T. Et Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Reformatione Matrimonii*. Festorum autem nomine haberi posset ille dies, in quo ad dictam Ecclesiam frequentior Populus conveniret, vel ad Concionem audiendam, vel Processionem, vel ad solemnia Titularis Ecclesiæ agenda, vel cujuslibet alterius Sancti, ita Tridentini legem interpretante consuetudine.
2. Si vero contrahentes fuerint diversarum Parochiarum, in utrisque Parochiis fieri debent; quod si Sponsi recenter domicilium in ea Parochia duxerint, tunc faciendæ quoque sunt denunciationes in Ecclesia relicti Domicilii similiter; quod si ab una ad aliam Diœcesim venerint, tunc status liberi attestationes expediri debent ab Ordinario Diœcesis, a qua, ad Ordinarium Diœcesis, ad quam, qui Ordinarius Diœcesis, in qua morantur, in scriptis ordinem expediet ad Parochum contrahentium, vel cum clausula peragendarum denunciationum, vel cum absolutione ab ipsis.

Hoc fine præceptæ sunt ejusmodi denunciationes, ut facilius detegantur impedimenta, si quæ sint, ne non denunciatum Matrimonium illicite, aut invalide contrahatur, *ex iisdem Later. & Trid. Conciliis citat.*

Peractis denunciationibus, nulloque detecto impedimento, si differant celebrationem Matrimonii ultra duos menses, renovandæ sunt; ita præcipiente Synodo Bonon. Boncompagni *lib. 2. Cap. 9. §. Ubi bimestre &c.*

Quemadmodum, si omissæ absque dispensatione, & celebrato Matrimonio post illud, sed ante consummationem, supplendæ sunt. *Idem Trid. loco cit.*

3. Essent recensendæ causæ dispensandi a predictis denunciationibus, verum quia hæc potestas dispensandi reservata est a Tridentino solis Ordinariis, & Parochus non habet potestatem cognoscendi de impedimentis, sed solum onus deferendi ad Episcopum, quæ impedimenta delata sunt, non interest, ut eas hic recenseamus. Quod Parochi est in sibi delato impedimento, hoc unum, ut interdicat celebrationem Matrimonii

monii

monii denunciatis Sponsis, & interim illud deferat ad Episcopum, cujus muneris erit, justitiam causæ judicare. Propterea muneri suo satisfaciet Parochus, si in denunciationibus monuerit Populum de gravi obligatione sub pœna Excommunicationis ex cit. Synodo Bonon. quam habet quilibet sibi conscia impedimenta denunciandi; a qua non absolvuntur, nisi grave damnum immineret denuncianti, vel timeretur grave scandalum apud alios, vel prudenter crederetur non profutura denunciatio, vel denique nota esset denuncianti obtenta dispensatio. Cæterum etsi impedimentum sit occultum, ex hoc non absolvitur a lege præcipiente denunciationem, qui illud sciret; cum prævalere debeat reverentia debita Sacramento juri naturali de non manifestando alterius crimine; presertim cum hujusmodi manifestatio secum non ducat infamiam, quia ad prudentem Virum, nempe vel Parochum, vel Episcopum facta.

4. His præmissis impedimentum Clandestinitatis irritans Matrimonium expendemus.

Etsi antiqua jura, nempe *Cap.* 2. *H. T.* decrevissent illicita ea Matrimonia quæ sine præsentia Parochi, & Testium celebrata fuissent; tamen nunquam eadem definiverunt invalida; novissime id fecit Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii:* idque ob gravissimas causas recensitas ab eodem Tridentino, quæ sunt ad tollenda gravia peccata, nempe pluralitatem simultaneam, vel Uxorum, vel Virorum, continuationem adulteriorum per eos præsertim patrandorum, qui relicta uxore Clandestine ducta cum alia palam contrahunt, atque in perpetuo adulterio cum ipsa vivunt; quapropter quia ex præsumptione periculi universalis edidit Tridentinum hoc Decretum irritans, sequitur illud non cessare, licet per accidens in uno, vel altero eventu cessent hujusmodi mala, & a conjugibus non negetur Matrimonium clandestinè initum.

5. Cum autem Decretum hoc irritans Matrimonium ediderit Tridentinum de Reformatione, qua non proposuit servandam toti Orbi Christiano, sed iis tantum Regnis, atque Provinciis, in quibus idem Tridentinum promulgatum est; inde propterea ex tacito Ecclesiæ consensu factum est, ut in regionibus iis, in quibus non est publicatum prædictum Decretum, Matrimonia celebrata sine præsentia Parochi, & Testium, sint quidem graviter illicita, sed tamen valida; dummodo contrahentes alioquin subditi Conciliari Decreto, quia incolæ Regni, aut Provinciæ, in quibus est publicatum, ad ea loca non perexerint, ubi non est publicatum, solo animo contrahendi, & sine animo ibi commorandi, quia ii non essent ex dictis regionibus; unde beneficio privilegiorum loci frui non debent, & ne quod in fraudem legis admiserint, illis vertatur in utilitatem.

6. Loca porro, in quibus non est publicatum Tridentinum enumerat Maschat *lib.* 4. *t.* 3. *n.* 11. indicans etiam Decretum Benedicti XIV. 13. Maii 1741.

1741. relatum in ejus Bullario die 4. Novembris ejusdem Anni *Tom. primo pag.* 87.

Quoniam non unica est Virorum, atque Mulierum conditio; nam alii divites, pluraque domicilia habentes, alii pauperes, ac famulatu viventes; ut sæpius vel in anno illis contingat Dominos, ac Parochias mutare incerti sæpenumero sunt, cujus Parochiæ sint; unde prætium est, indicare, quis sit proprius cujusque Parochus ad effectum valide contrahendi Matrimonia.

7. Parochum domicilii, vel quasi domicilii cujuslibet volentis inire Matrimonium, non vero simplicis originis sanxit idem Decretum Concilii Tridentini *loco citato*, & notione Parochi voluit intelligi quemcumque habentem potestatem cumulativam cum Parocho, uti Vicarium Generalem, Episcopum, Legatum Apostolicum, Papam, Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum, Capitulum sede vacante, omnesque vicem gerentes Parochi, uti Vicarios perpetuos, & temporales. Quem Parochum non exegit Sacerdotem, ex quo per suam præsentiam exhibendam Matrimonio celebrando nulla Sacramenta ministret; requisivit tamen ut, si ab eo quis deputaretur ad assistendum Matrimonio, quod deputatus esset Sacerdos; quia cum in deputato deficiat qualitas Parochi; requisivit Tridentinum ut saltem haberet qualitatem Sacerdotis, quæ una cum deputatione spectabile Testimonium præberet.

8. Parochus autem, vel suspensus fuerit, vel excommunicatus etiam non toleratus, dummodo non fuerit spoliatus Beneficio, valide assistit Matrimonio; quia adhuc est verus Parochus, & per hujusmodi assistentiam Sacramenta non ministrat, aut ullum Ordinem exercet, & nulla sit lex irritans Matrimonium celebratum coram hujusmodi Parocho. Qui equidem Parochus, licet excommunicatus non toleratus, poterit ulterius delegare alium Sacerdotem, qui sit, vel secularis, vel regularis, quemadmodum omnes Parochi efficere possunt ad assistendum Matrimoniis suorum Parochianorum.

6. Hæc porro delegatio esse poterit, vel expressa, vel implicita; de expressa, quia hæc, quæ sit, innotescit, nihil opus est dicere. Implicita vero ea est, quæ continetur in delegatione ad universam curam animarum, ut si Parochus delegans sit per aliquos dies, nempe decem, aut duodecim moram ducturus extra Parochiam; quinimmo etiam tacita delegatio sufficit, & est, quando præsens Parochus videt Sacerdotem assistere Matrimonio sui Parochiani, & potest facile impedire, vel contradicere, & tacet. Quod enim fit præsente eo, qui impedire posset, si vellet, & sine ejus voluntate non subsistit, illius nomine gestum censetur. Contra vero est, si absens esset Parochus, & præsumeret quis se esse delegandum a Parocho, qua præsumptione si Matrimonio assisteret, tunc nullum foret illud Matrimonium; quia quod esset si, & non est, nihil

hil

hil ponit in esse; unde quia revera Parochus illum non delegavit, quamvis delegasset, si fuisset requisitus, verificatur, quo tempore assistit Matrimonio, non esse delegatum ad assistendum; propterea nullum esse Matrimonium coram illo celebratum.

Hæc dicta de delegatione, confirmata conspiciuntur a plerisque Resolutionibus Sacræ Congregationis Trid. Concil. quarum prima habetur in *Taurinen. Matrimonii 16. Novembris 1720. Tom. prim. Fol.* 382. declarans, non requiri licentiam datam a Parocho Sacerdoti in scriptis esse expeditam. Inquit enim: *Matrimonium contractum de licentia Parochi coram Sacerdote, etsi hujusmodi licentia non in scriptis, sed per Testes probetur de nullitate ejus non constat.*

Secunda declarans revocationem delegationis, utpote quid odiosum, stricte interpretandam esse; proinde in *Tricaricen. Matrimonii 17. Junii 1733. Tom. 6. Fol.* 107. ait: *Matrimonium initum coram Praesbytero, cui pretendebatur adempta facultas ei assistendi a Parocho concessa, declaratum fuit validum.*

Tertia declarans delegationem valere, etiamsi delegans errore capiatur circa personam, in cujus gratiam Sacerdotem delegat, in *Compostellana, seu Lucen: Matrimonii 29. Augusti 1744. & 19. Septemb. ejusdem anni. Tom. 11. part. secunda Fol.* 333. & 337. inquit: *Matrimonium initum coram Sacerdote deputato a Vicario Generali, qui captus est errore nominis Sponsi, quem si deprehendisset, non concessisset prædictam deputationem, ac remissionem publicationum, validum declaratur, renovato tamen consensu ad cautelam.*

Quarta, decernens validam delegationem implicite factam in deputatione ad universam curam animarum, in *Faventina Matrimonii 22. Julii 1758. Tom. 22. Fol.* 54. dicit enim: *Vicarius relictus a Parocho absente, licet expressa ei a Parocho data non fuerit facultas assistendi Matrimoniis habet illam a lege, nempe a Tridentino Concilio. Nam deputatus dicitur ad universam curam animarum, ad differentiam Capellani, vel Vicarii Parochi præsentis, cui facultas expressa a Parocho dari debet; Sacra autem Congregatio in simili Matrimonio præcepit ad cautelam renovationem consensus coram Parocho, & Testibus.*

Quinta, manifestans Vicarium Generalem posse delegare etiam contra interdictum Episcopi Parochum, vel Sacerdotem ad valide assistendum &c. in *Pistorien. Matrimonii 1. Aprilis 1719. Tom. prim. Fol.* 171. 172. ait: *Matrimonium celebratum coram Parocho, vel Sacerdote delegato a Vicario Generali, qui non sit proprius Contrahentium, & contra interdictum Episcopi, validum declaratur.*

10. Expeditis iis, quæ pertinebant ad habendam notionem Parochi, vel ejus Sacerdotis delegati, superest, ut leges investigemus, quibus deprehendi possit, ad quam Parochiam quis pertineat, quoad valide ineundum

dum Matrimonium; & quoniam ex Tridentino ut quis pertineat ad aliquam Parochiam ad finem validè contrahendi &c. non requiritur domicilium originis, sed solius habitationis, neque illud ita presse exigitur, quin etiam sufficiat quasi domicilium, de quibus agunt Juristæ; diversarum proinde personarum conditiones considerabimus, e quibus quod, & quale sit illorum domicilium, vel quasi, deprehendemus.

11. Prima, itaque personarum conditio sit vagorum; ii enim a patria recesserunt sine animo revertendi; quousque enim isti non elegerint locum aliquem, in quo morari statuerint, sed hinc inde perambulant ita animo indeterminati, fiunt ex ea Parochia, in qua reperiuntur; ibique si contrahant Matrimonium, validè contrahunt coram Parocho illius Parœciæ: qualitas vero vagi certo inesse debet in alterutro contrahentium, qua deficiente nullum declaratur Matrim. *Res. Tom. 3. Fol.* 189. in *Lauretana* 13. *Julii* 1725. tamen licite numquam inire poterunt Matrimonium sine expressa licentia Ordinarii loci, in quo morantur; cujus erit munus de libertate dictorum vagorum cognoscendi: sed in hanc rem videatur *Neapolitana seu Tusculana Matrimonii 3. Julii* 1734. *Tom. 6. dictorum Resolutorum Fol.* 284.

12. Secunda conditio est Peregrinorum; iique sunt qui e Patria discedunt animo revertendi, per quem servatum animum retinent domicilium in Patria sua; propterea illorum Parochus quo ad Matrimonia est Parochus domicilii Patriæ suæ, nisi adeo longa esset mora eorum extra suam Patriam, ut quasidomicilium habitationis contraherent in aliena Diœcesi: si tamen ii in dicta aliena Diœcesi contrahere velint, res deferenda est ad Episcopum loci illius, sine cujus licentia obtenta nullus Parochus præsumat assistere: *Tridentinum Sess.* 24. *Cap.* 7. *de Ref. Matrim.*

13. Tertia est, discedentium e Patria negotiorum causa, uti nundinationis, litterarum, vel artium discendarum, vel similium; si inquam hæc negotia notabilem moram extra Patriam inducant, ut quasidomicilium contrahere videantur, proprius illorum Parochus quoad Matrimonia &c. erit illius loci, in quo notabilem moram sunt habituri, vel habuerint, & habent; tamen quoad licitè contrahendum servari debet superius citatum Tridentini statutum de Vagis, & Peregrinis.

14. Quarta est eorum, qui in Carceribus detinentur; Nam isti haberent proprium habitationis domicilium aliunde; & tamen quandoque proprius illorum Parochus quoad Matrimonia ineunda evadit Parochus carceris. Hoc quidem pendet ab eo, quod carcer datus sit carcerato in pœnam, non vero detineatur in carcere ad custodiam; idest completus sit processus, & lata sententia pœnæ carceris, tunc enim mora in carcere est quasi domicilium ipsius carcerati; proinde Parochus illius carceris erit proprius Parochus carcerati quoad contrahendum Matrimonium hinc Sacra Tridentini Congregatio in *Reatina nullitatis Matrimonii* 11.

De-

Decembris 1756. *Tom.* 20. *Fol.* 119. inquit: *Parochus carceris, ubi aliquis custodiæ tantum causa detinetur, non pœnæ, sive perpetuæ, sive temporalis non dicitur proprius ad effectum valide coram ipso contrahendi.*

15. Quinta est famulorum, qui vel ex alienis Diœcesibus, vel ex una, ad aliam Parochiam identidem migrantes cujus Parochiæ sint, vix licet comprehendere. Si ab una ad aliam Diœcesim venerint, quia tunc sine statuis liberi attestationibus emittendis ab Ordinario Diœcesis, a qua recesserunt, deferendis ad Ordinarium Diœcesis, in qua morantur, & Matrimonium inire desiderant, nequeunt illud contrahere; ad prædictum propterea Ordinarium pertinebit definire, vel cujus Parochiæ sint, vel quem illi placuerit delegare pro assistentia horum Matrimoniorum; qui, si cognoverit dictos famulos non habere aliud domicilium, nisi apud Dominos, tunc Parochum Dominorum deputabit; si vero privatum habuerint domicilium, seu habitationem, ad quam animum semper habeant se recipiendi, quoties a famulatu Dominorum dimittantur, tunc pro illorum Parocho habebit Ordinarius Parochum dicti privati Domicilii, seu habitationis, ut docte monuit Benedictus XIV. in suis Institutionibus, seu Notificationibus præsertim *Notific.* 12. *Tom.* 2.

Si autem famuli, vel famulæ sint ex origine illius Diœcesis, in qua famulantur, triplex illorum domicilium spectari debet, nempe Paternum, Maternum, atque Fraternum; si enim alterutrum horum domiciliorum habeant, Parochus hujus domicilii non vero Parochus Dominorum, licet cum ipsis longam duxerint moram, erit proprius Parochus: hoc servato ordine, ut præferatur domicilium Paternum Materno, & Maternum Fraterno, quod præsertim de Fœminis attenditur, ex quo vigeat in nostra Diœcesi consuetudo, quod Parochus Mulieris assistat Matrimonio, non autem Viri.

Si autem nullum ex his domiciliis habeant, tunc pertinebunt ad Parochum Dominorum, apud quos morantur, nisi & ipsi famuli privatum aliquod haberent ad semetipsos recipiendos, quoties a Dominis dimitterentur; quia tunc ostenderent corpore famulari Dominis, animo vero commorari in privato domicilio, & domicilium non ex corporis mora, sed ex voluntate, & affectu metiri debere. Hæc omnia innotescunt ex citatis Notificationibus Benedicti XIV.

16. Sexta est Puellarum in Hospitio spuriorum, vel Orphanorum in aliis Hospitiis, seu Conservatoriis detentarum, quæ cum alantur proventibus loci Pii, ab eoque dotentur, illum pro Patre locum Pium habent, estque ille locus, seu Hospitium velut illarum domicilium Paternum; propterea Parochus dicti loci erit illarum proprius Parochus; etsi ex iis Hospitiis quandoque egressæ apud Parentes morentur in alienis Parochiis.

17. Id vero dici nequit de Puellis educatione traditis a Parentibus in Mo-

 nia-

nialium Monasteriis; nam istæ volentes Matrimonium inire, non pertinent ad Parochum Monasterii, sed ad Parochum domicilii, vel Paterni, vel Materni, vel Fraterni; quod si nullum habeant ex his, tunc ad Parochum Monasterii pertinebunt.

Hæc superius dicta in unum collegit Maschat *lib. 4. t. 3. de Clandestina Desponsatione n. 19.* inquiens, *ex Decretis Congr. Concilii relatis a Benedicto XIV. Institutionum Ecclesiasticarum 33.* „ Ritè contrahere possunt Matri-
„ monium coram Parocho loci, intra cujus Parochiæ limites degunt pri-
„ mo Prætor, Judex, Medicus temporalis, Professor alicujus facultatis,
„ Discipuli, & Famuli licet exteri.... Secundo carceribus detenti dum-
„ modo non detineantur pro custodia tantum, videlicet donec eorum
„ causa Judicis sententia cognoscatur. Tertio Puellæ expositæ in Hospitio
„ spuriorum detentæ. Quarto puellæ, quæ in aliis Hospitiis, seu Conser-
„ vatoriis servantur, & eorumdem proventibus aluntur, licet per breve
„ tempus discedant suos domesticos invisuræ. Puellæ vero, quæ data fide,
„ & Viro jam destinatæ, per consanguineos invitæ in Monasteriis detinentur,
„ ex generalibus Decretis Congregationis Episcoporum, & Regularium
„ Cit. Instit. relatis extrahi debent ab iisdem Monasteriis, licet Ordina-
„ rio minimè subjectis, ut contrahere possint coram Parocho, cujus di-
„ tioni Paterna Ædes adjecta judicabitur; quod si difficile sit, ad extra-
„ ctionem devenire, illæque in alia Parochia Domicilium non habeant,
„ tunc Matrimonium contrahent coram Parocho, intra cujus Parochiam
„ situm est Monasterium: Si vero proprium Domicilium habeant, coram
„ hujusmodi Domicilii Parocho contrahent, ut probat idem Benedictus
„ loco citato. „

18. Septima est eorum, qui in Xenodochiis grave periculum vitæ subeuntes, ut saluti animæ consulant priusquam moriantur, Matrimonium inire tenentur: num inquam coram Parocho suorum Domiciliorum, vel Parocho, in cujus ditione situm est Xenodochium, vel potius coram Capellano Xenodochii contrahere valeant, ac debeant; longa esset disputatio: cum inter Doctores non modica sit concertatio: volentibus plurimis coram Parocho Domiciliorum, aliis coram Capellano Xenodochii, aliis denique coram Parocho loci, in quo est Xenodochium, hujusmodi ægrotos celebrare debere Matrimonium.

Verum in hanc rem docte prosequitur idem Maschat loco citato. „ Quis
„ autem debeat assistere Matrimonio, quod aliquando ineundum est ab
„ iis, qui in Xenodochiis in gravi vitæ periculo versantur, ut animæ sa-
„ luti prospiciant; an scilicet Xenodochii Capellanus, vel Parochus, in
„ cujus ditione illud situm est? Magna est contentio inter Doctores;
„ ideoque standum erit in tali casu declarationi, seu deputationi Ordina-
„ rii, ut ibidem sentit idem Pontifex (nempe Benedictus Decimus quar-
„ tus): Verum tunc monendus erit idem Ægrotus, ne sanitati restitutus
„ ad

„ ad uxorem accedat, donec paruerit iis, quæ a Sancto Officio præscri-
„ buntur circa juramentum ab eo præstandum de sua libera conditione,
„ cæterisque impedimentis, juxta Instructionem dicti Tribunalis relatam
„ a Corado in praxi Dispensationum *Lib. 7. Cap. 6. n. 23.* „

19. Octava est, divitum habentium plura Domicilia, vel in diversis Diœcesibus, vel in diversis Parochiis ejusdem Diœcesis; si pro anni medietate morali in una Diœcesi habitent, & pro alia in alia Diœcesi, tunc servata lege Tridentini de attestationibus status liberi mittendis ab Ordinario Diœcesis, in qua non morantur, quando inire volunt Matrimonium, ad Ordinarium loci, in quo sunt, & cupiunt contrahere, valide contrahent coram Parocho loci, in quo tunc temporis morantur; ad quem ejusdem loci Ordinarius diriget ordinem assistendi, ut consuetudo in jure fundata postulat, ne alius delegetur ab Ordinario, nisi ille, cui de jure cæteroquin competeret hujusmodi assistentia. Si autem mora in una Diœcesi esset adeo brevis, quæ potius transitus, quam mora diceretur, per hanc in dicta Diœcesi non contraherent Domicilium, vel quasi Domicilium sufficiens ad valide ineundum Matrimonium, nisi accessus illorum ad dictam Diœcesim esset conjunctus cum animo ibidem diu commorandi, quem licet post initum Matrimonium superventa circumstantiarum mutatione cogerentur deponere; Nam in tali hypothesi, quando initum fuit Matrimonium aderat quidquid requirebatur ad habendum verum Domicilium, vel quasi sufficiens pro validitate Matrimonii. Etenim non requiritur longa mora corporalis in loco, ut ibi acquiratur Domicilium, sed sufficit fere momentanea mora conjuncta cum animo ibi diu permanendi, ut definivit Sacra Tridentini Congregatio in Anconitana nullitatis Matrimonii 10. Maii 1760. *Tom. 24. Fol. 104.* inquiens: *Matrimonium initum coram Parocho loci, ad quem eodem die celebrationis se contulit animo ibi contrahendi Domicilium, validum declaratur;* quod idem dici debet de mutatione Domicilii de una ad aliam Parochiam ejusdem Diœcesis; hoc solo discrimine interposito, quod tunc cessat dispositio Tridentini circa attestationes status liberi; quoniam migrantes de una ad aliam Parochiam, non exeunt extra ditionem eorum Ordinarii.

Ut plurimum contingere tamen solet, quod ii divites de Civitate ad Rus recreationis gratia se transferant, ibique etiam fere anni medietatem traducant, vel ultra; per quam longam moram viderentur ibi contrahere Domicilium, vel quasi &c. sufficiens ad valide Matrimonia ineunda. Sed inquit Maschat „ ex aliis Decretis Congregationis Concilii *Instit. 13.*
„ Benedicti XIV. relatis Parochus loci, ubi quis degit rusticationis, re-
„ creationis, vel negotiorum causa, seu ad quem quis se transfert solo
„ animo contrahendi Matrimonium, non autem contrahendi Domicilium,
„ non est proprius quoad ipsum Matrimonium. „

L 2 20. Re-

20. Requiritur propterea hic animus acquirendi, & figendi Domicilium pro valido ineundo Matrimonio in iis, qui sponte de uno, ad alium locum migrant; si vero inviti traducantur de uno ad alium locum, & juste id fiat, tunc, licet non habeant animum commorandi in loco, ad quem traducti sunt, quoties mora fuerit notabilis, vel saltem prævisa ut talis, quæ foret sufficiens ad inducendum cęteroquin quasi Domicilium, Parochus loci illius erit proprius illorum Parochus pro valide ineundo Matrimonio, id constat ex citata Resolutione Reatina 11. Decembris 1716. *de Carcerato*.

Quis, & qualis Parochus, sive deputatus Sacerdos esse debeat ad valide assistendum Matrimoniis, dicta demonstrant; quæ autem, & qualis ejus assistentia seu præsentia, & Testium esse debeat, nunc dicetur.

21. Et quoniam Matrimonium celebrari solet, ac debet cum omnibus solemnitatibus a Tridentino pręscriptis, quæ, si serventur, ostendunt præsentiam Parochi, vel Sacerdotis deputati esse debere non mere physicam, quam & dormientes exhibere possunt, sed vere moralem, scilicet cum advertentia ad id, quod gerunt contrahentes, & voluntate ejusdem Parochi Benedictionem, & alia solemnia complendis; sed quia non omnes præscriptas solemnitates voluit Tridentinum pertinere ad valorem Matrimonii, quin validum decreverit esse illud Matrimonium quod initum sine Parochi, vel Sacerdotis tum privata, tum solemni Benedictione; quinimmo & illud, cui vi, & dolo, captus Parochus assistit: ut sæpius declaravit Sacra ejusdem Tridentini Congregatio; nonnullas propterea hic adducens ejusdem Congregationis Tridentini Resolutiones definientes, quæ & qualis pręsentia Parochi, & Testium sufficiat pro valido ineundo Matrimonio.

Sitque prima Neritonen. Matrimonii 24. Maii 1738. *Tom. 8. part. secunda Fol. 87. & 92.* inquiens: *Matrimonium sustinetur, etiam si Parochus non intellexerit verba Sponsæ, dummodo de ejus consensu ex aliis signis constet.*

Secunda Neapolitana Matrimonii 6. Maii 1741. *Tom. 10. part. prima Fol. 19. Matrimonium coram Parocho, & Testibus, verba consensus non audientibus, sed ex nutibus, aliisque antecedentibus, ac consequentibus consensum præsumentibus validum declaratur.*

Tertia, Cassanen. Matrimonii 23. Septembris 1741. *eodem Tomo part. secunda Fol. 17. Matrimonium coram Parocho audiente unius consensum, non alterius, etsi clandestine, idest sine pręmissis denuntiationibus expressum, est validum.*

Quarta, Nicen. Matrimonii 13. Februarii 1751. & 19. Junii dicti anni, *Tom. 15. Fol. 9. 10. 11. 87.* ait: *Matrimonium initum coram Parocho Sacrum agente, qui a contrahentibus protestatus est, se non audivisse, nisi hæc verba* = Benediteci, ecco qua i Testimonj = *validum declaratur.*

Quin-

Quinta, Cartaginen. Matrimonii 13. Martii 1753. & 22. Septembris dicti anni: *Tom. 17. Fol. 28. 99. Matrimonium initum coram Parocho non cognoscente contrahentes, vel quia palio obvolutos, vel noctis, ac loci obscuritate, vel aliter, sed ex consequentibus deprehendente, sicque & Testibus &c. validum declaratur.*

22. E quibus Resolutionibus deprehenditur præsentiam Parochi, & Testium eam solam requiri, qua prudenter affirmare possint tum Parochus, tum ipsi Testes celebratum fuisse Matrimonium; propterea non requiri, ut vel expresse audierint omnia verba consensus, vel contrahentes noverint; dummodo antecedentia, & consequentia talia fuerint, e quibus prudenter desumi possit Matrimonium esse celebratum; ex quo etiam deprehenditur, sufficere ad validitatem Matrimonii præsentiam Parochi etiam inviti, & reluctantis: ut Cesenaten. Matrimonii 3. Octobris 1716. *Tom. 9. part. tertia Fol. 105. Resol. Matrimonium initum coram Parocho ex industria fugiente, atque affectante non audire consensum contrahentium, quem postea revera non audivit, declaratur validum.*

23. Et hæc de presentia Parochi, vel Sacerdotis delegati; Verum quia hæc postulatur ad valorem Matrimonii, ex Tridentini Decreto in iis tantum locis, in quibus publicatum est idem Tridentinum, neque ubique terrarum sit publicatum, sive eodem consentiente, non acceptatum, quo ad quædam capita Reformationis; hinc liquet Matrimonium celebratum in iis locis, in quibus non est publicatum, sine præsentia Parochi validum esse, propterea Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum 17. Augusti 1737. *Tom. 8. part. prima Fol. 126. Resol. Matrimonium Catholici cum Hæretica, ubi non est publicatum Tridentinum, absque præsentia Parochi est validum.*

Quinimo in locis etiam, ubi publicatum est Tridentinum, fieri potest, ut validum sit Matrimonium celebratum sine presentia Parochi, ut Colonien. 27. Januarii 1728. *Tom. 4. Fol. 153. Resol. Matrimonia inita sine Parocho in loco, ubi nec Episcopus, nec Parochus adsit, sunt valida, dummodo tamen adhibiti fuerint duo, vel tres Testes.*

Vel etsi fuerit Parochus, & Episcopus, sed tamen moraliter non pateat ad eosdem accessus, adhuc sine præsentia Parochi, vel Ordinarii celebratum Matrimonium valet, ut citata superius Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum 17. Augusti 1737. *Tom. 8. part. prima Fol. 127. Ubi*, inquit, *autem fuit publicatum (nempe Tridentinum) si ibi non sit Parochus, vel ad eum accessus haberi moraliter nequeat, sine ejus præsentia adhuc est validum. Secus si vel sit, vel ad eum facilis habeatur accessus.*

Quæ ergo, & qualis debeat esse præsentia Parochi pro validitate Matrimonii, & quando, vel quo loco sit validum sine præsentia Parochi celebratum, jam diximus.

24. Verum quia contingere potest, ut volentes contrahere actu sint di-

versarum Parochiarum, Vir nempe ex una Parochia, Mulier ex alia; cum definitum non habeatur ex Tridentino, num esse debeat Parochus assistens, qui est viri potius, quam Mulieris, vel contra, dubium emersit; num alteruter, vel solum Parochus unius, scilicet, vel Viri, vel Mulieris determinandus ab Ordinariis locorum, ille sit, cujus præsentia necessaria sit ad valorem Matrimonii. Quod dubium delatum Sacræ Congregationi Concilii fertur, eam declarasse Parochum vel Sponsi, vel Sponsę sufficere pro validitate Matrimonii absque ulla requisita Ordinarii determinatione. Ita referente Maschat *Lib. 4. tit. 3. de Cland. Despon. n.* 19. quod expressius habetur in Spoletana Juris assistendi Matrimonii 18. Julii 1733. *Tom. 6. Ref. Sac. Cong. Trid. Fol.* 111. in qua Resolutione disputabatur, num pertineret ad Parochum Ecclesiæ Matricis, vel ad Parochum Ecclesiæ Filialis, in qua morabatur unus contrahentium, assistentia necessaria pro validitate Matrimonii contrahendi, & in ea fuit resolutum: *esse Matrimonia ineunda coram Parocho alterutrius (nempe ex contrahentibus) non vero Ecclesiæ Matricis*.

Constat itaque Parochum, sive Viri, sive Mulieris valide assistere Matrimoniis suorum Parochianorum, vel Viri sint, vel Mulieres: licet alteruter tantum, vel Vir, vel Fœmina contrahens fuerit suus Parochianus.

Quam assistentiam præstare poterit Parochus nedum in sua Parochia, sed etiam in aliena, quinimo etiam in aliena Diœcesi; quia per hujusmodi assistentiam nullius jurisdictionem violat, cum hæc jurisdictionis actus non sit; propterea etiam delegatus a Parocho id poterit, ut inquit Maschat *Lib. 4. tit. 3. de Cland. Despons. n.* 17. „ Sacerdos a proprio Pa„ rocho ad hoc delegatus potest assistere Matrimonio, nedum intra dele„ gantis Parochiam, sed etiam extra propriam Diœcesim: & multo ma„ gis delegatus ab Episcopo „ ut probat Fagnan. *hoc eodem Tit. Cap. Quod nobis n. 33. & sequent.* Non posset autem assistere cum consuetis solemnitatibus, nec Sponsos benedicere sine consensu Parochi loci (subintellige Benedictione solemni, quæ est in Missali, non vero ea, quæ privata est, & consistit in eis verbis, *Ego conjungo vos &c.*) intra cujus Parochiam contraheretur Matrimonium: cum tunc exerceret jurisdictionem in alieno Territorio. Reinsfetuel *hoc titulo*, idem repetit Maschat *citato loco num.* 22.

25. Verum quamvis valide Parochus Viri, vel mulieris assistat, in plerisque tamen Diœcesibus licite non assistet, nisi ille Parochus, qui vel ex Decreto Ordinariorum statutus, vel legitima consuetudine receptus sit; quæ consuetudo in nostra Diœcesi est, ut assistat Matrimoniis Parochus Mulierum, non Virorum.

26. Cum autem ad validitatem Matrimonii cum præsentia Parochi simultanee etiam requiratur præsentia duorum, vel trium Testium ex citato Tridentino, quæ eorum præsentia non mere physica, sed vere moralis

lis esse debet, ut requisiti de gesto certum Testimonium ferre valeant; quinam propterea, & cujus conditionis esse debeant, investigabimus.

Naturali jure Mas, sive Fœmina, dummodo rationis compos, Testis esse potest cujusquam gesti, si ad illud adverterit. Cui obesse non potest conditio infamiæ, minoritatis, vel alterius conditionis; cum non aliud spectet jus naturale, quam usum rationis, atque advertentiam, nullo habito discrimine inter Marem, & Fœminam, vel ætatem, conditionem, famam, sive infamiam in eo, qui Testis assumitur cujuslibet gesti. Tridentinum autem præcipiens præsentiam duorum, vel trium Testium in celebratione Matrimonii, non recessit a jure naturali quidquam ultra expetens in Testibus, nisi quod in iisdem postulat jus naturale; Ergo pro validitate Matrimonii sufficiunt ij Testes, & cum solis iis conditionibus, qui, & cum quibus conditionibus sufficiunt jure naturæ in quolibet morali gesto: quod confirmatum habetur §. *quoad Testes in una Ferrarien. Matrimonii proposita* 12. *Decembris* 1761. *&* *Resoluta* 16. *Januarii* 1762.

27. Essent recensendæ pœnæ Parochis, vel aliis Sacerdotibus, sive delegatis, sive non delegatis voluntariam præsentiam præstantibus Matrimonio, cui non sunt præmissæ denuntiationes, neque de iis ulla obtenta sit dispensatio, quæ, cum sint arbitrariæ Episcopo, non est pretium, ut numerentur; quæ tamen a jure statutæ sunt, si sermo sit de Parocho, quædam sunt arbitrariæ ipsi Episcopo, quædam non: uti suspensio Triennalis ab Officio *Cap. final. Tarag. fin. H. T.* hæc tamen est ferendæ, non latæ sententiæ, ex quo habeatur in textu: *Suspendatur*.

Similiter ultra nullitatem Matrimonii arbitrariæ sunt pœnæ infligendæ Parocho, vel Sacerdoti de ejus licentia assistenti Matrimonio, cui desunt duo, vel tres Testes *Trid. Sess.* 24. *Cap. primo de Reformatione Matrimonii.*

Sacerdotibus vero, sive Sæcularibus, sive Regularibus præsumentibus assistere Matrimoniis, ac Sponsos Benedicere sine licentia Parochi alterutrius ex Sponsis decernitur a Tridentino citato loco suspensio ipso jure durans tamdiu, quamdiu ab Ordinario Parochi Sponsorum absolutionem obtinuerint.

Pœnæ vero Contrahentibus debitæ absque præmissis denunciationibus, ac solitis solemnitatibus a Canonico Jure expresse non indicantur, sed arbitrio Episcoporum relinquitur pro rei gravitate, gravem quoque pœnitentiam dictis Contrahentibus imponendi. Quemadmodum & Testibus, quinimo in suis Constitutionibus posset quilibet Episcopus contra hujusmodi Contrahentes, & Testes ferre Excommunicationem latæ sententiæ, ut *Cap.* 69. *num.* 2. Synodi Diœcesanæ docuit Benedictus XIV. qui quamvis fuerit immediatus successor Eminentissimi Jacobi Boncompagni in Episcopatu Bononiensi, non tamen in suis Notificationibus, aut dicto Opere de Synodo Diœcesana, etsi locus dicendi esset, unquam

meminit Ædicti antecessoris sui lati anno 1700. Excommunicationem latæ sententiæ infligentis contra hujusmodi Contrahentes, & Testes; ex quo liquet, eam dissuetudine abrogatam esse, & quidem merito; nam tales circumstantiæ dari possunt, in quibus ita Contrahentes non peccent; unde pro iis Excommunicatio non subsisteret; propterea universim ea infligi non potest; sed tantum in iis peculiaribus circumstantiis, in quibus contrahentes peccant; quæ ab Episcopo cognoscendæ antequam Excommunicationem infligat; atque in hoc sensu intelligenda sunt, quę dixit Benedictus XIV. posse nempe Episcopum in casibus peculiaribus ferre Excommunicationem, non vero universim sub Excommunicatione latæ sententiæ interdicere hujusmodi Matrimonia, quæ sine denunciationibus, ac solemnitatibus inita, aut ineunda.

Hæc videbantur dicenda de impedimentis dirimentibus Matrimonium. Quæ cum peculiaribus circumstantiis personarum quandoque Fidelibus sint onerosa, quod Ecclesia percipiens, atque animo fovens suas leges conformes efficere Evangelicæ legi, cujus onus leve est, & jugum suave, justa proinde poscente causa supra eorum nonnullis dispensare consuevit; hinc



CAPUT

CAPUT QUINTUM.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

CUm dispensatio ab impedimentis sit eorumdem ablatio quoad eam Personam, cui dispensatio conceditur: resque per quas causas nascitur, per easdem destruatur, vel destrui possit: & non una sit causa producens impedimenta Matrimonii; nam quædam a jure naturali, quædam a jure positivo Divino, quædam denique ab Ecclesiastico jure, vel etiam legitima inducta consuetudine, velut lege Ecclesiastica suscepta, pro diversitate causarum ad easdem pertinere videretur Dispensatio impedimentorum; ut impedimenta juris naturæ ab ipsa natura, sive illius Auctore essent dispensanda; quæ juris Divini a Deo, quæ demum juris Ecclesiastici, sive Ecclesiasticæ consuetudinis ab Ecclesia dispensarentur.

Verum quia natura non patitur mutationem, & adeo sapienti consilio statuta est, ut ejus peculiares eventus omnes ab illius Auctore prævisi fuerint, immutabilibus quoque legibus fuit constituta; ut, si quæ impedimenta ex iis procedant, sint prorsus indispensabilia.

Quemadmodum essent impedimenta juris divini positivi, nisi moveretur Deus summa ejus miseratione erga naturam hominis lapsam majori nunc indigentem illius clementia, qua relaxentur ea Divina jura, quæ naturam humanam ad perfectiorem statum eveherent; ad quem statum nunc Originali culpa maculata distributive ascendere nequit; atque inde factum est, ut urgente necessitate, seu causa, potestatem concesserit Deus Ecclesiæ suæ dispensandi in quibusdam impedimentis, quæ constituerat.

In impedimentis vero juris Ecclesiastici, quoniam ab Ecclesia constituta, illa quoque possunt per eandem auferri. At quia vices Auctoris naturę, ac Dei gerit in Terris ipsa Ecclesia, tunc non propria, sed ejusdem Dei auctoritate justis vigentibus causis, & naturalia, & Divina impedimenta circa peculiarem Personam relaxare potest; propterea dispensatio ab impedimentis, cujusvis sint conditionis, ab alio expectari nequit, quam ab Ecclesia.

Ecclesiæ autem nomine non hic sumitur Congregatio Fidelium &c. sed summus Pontifex prout illius caput visibile, totius Christiani Orbis Legislator, ac Princeps, & reliqui Ecclesiæ Pastores, nempe Episcopi, vel Episcopalem Jurisdictionem habentes; qui tamen; quia potestatem Legislativam coercitam habent ad suas Diœceses, quarum sunt non supremi, sed subordinati Principes: singillatim non constituunt Ecclesiam, quæ statuere possit impedimenta, atque ab iis dispensare, quæ sunt natura-

turalis, ac divini juris; quinimò & Ecclesiastici; nisi delegati, quia non gaudent æquali jure cum summo Pontifice, sed servatur inter ipsos debita jurisdictionis proportio, quam procedentes, suis locis indicabimus.

§. I.

Dispensationum descriptio, & qualitatum, quas habere debent.

PRæstat tamen dispensationis definitionem in exordio præmittere.

1. Est inquam dispensatio legis relaxatio ob justam causam publica auctoritate facta pro aliquo casu, vel Persona particulari, manente interim alioquin obligatione. Vel *est exemptio alicujus, vel aliquorum a jure communi, ex rationabili causa ab eo qui jus habet dispensandi*. Est Theologorum, ac Canonistarum hæc definitio, quæ legi potest in Corrado *Prax. Dispens. lib. primo Cap. primo. num. 3.*

2. Quælibet autem Dispensatio, ut valeat, tribus hisce qualitatibus prædıtam esse oportet. Prima est, ut Dispensans potestatem habeat dispensandi. Secunda est, ut causa sit dispensandi. Tertia est, ut dispensationem petens, rite, ac sincere certiorem faciat dispensantem de allegata causa, quæ vera sit, nihilque reticeat, quo manifestato, non elargiretur dispensatio; defectu hujus tertiæ qualitatis dispensatio nulla est; & dicitur vel subreptitia, quando nempe reticetur verum, vel dicitur obreptitia, quando scilicet exprimitur falsum: Maschat *De Rescriptis lib. 1. Tit. 3. §. 2. num. 5. Part. prima.*

§. II.

Ab impedimentis mere impedientibus, quæ sint Juris Ecclesiastici, summus Pontifex pro Universo Orbe, & Episcopi pro suis Diœcesibus; quæ autem sunt Juris vel naturæ, vel Divini, solus Romanus Pontifex dispensare valet.

SEd ad dispensationes ab Impedimentis progrediamur.

1. Cum itaque impedimenta, ut diximus, alia sint impedientia tantummodo, & alia simul dirimentia; Quæ mere impedientia sunt dispensari omnia possunt a Romano Pontifice pro universo Orbe Christiano; non tamen omnia per eandem potestatem; cum ex iis nonnulla sint, quæ a jure mere Ecclesiastico procedant, uti est Ecclesiæ Vetitum, & Tempus feriatum, & alia sint ex jure naturali, & Divino, uti sunt Sponsalia, & simplex Votum Castitatis, vel ingrediendæ Religionis &c. Quæ sunt juris mere Ecclesiastici, dispensantur a Romano Pontifice per aucto-

ctoritatem summo Principi Ecclesiæ convenientem, quæ auctoritas cum proportionaliter spectetur in quolibet Episcopo quoad suam Diœcesim; in eadem propterea poterit Episcopus suos subditos a prædictis Impedimentis dispensare. *Ex Cap. 2. de eo qui cognovit &c.*

2. Quæ autem sunt juris naturæ, vel divini, quia iis juribus est inferior Pontifex, directè non poterit ab eorum impedimentis dispensare subditos; cum nequeat derogare juri quæsito alteri per Sponsalia, vel Deo per votum; proinde nonnisi indirectè id faciet, nempe vel irritando consensum datum in Sponsalibus, vel in Voto; ex quo nequeant subditi contra voluntatem supremi Principis in quidquam consentire; hinc per irritationem hujusmodi consensus mutatur materia, ut de licita transferatur in illicitam, & hinc inde recte ex iis impedimenta producta tolluntur; idque faciet Romanus Pontifex per auctoritatem sibi collatam a Deo, tum ut Auctore naturæ, cum etiam a Christo Domino, ut summo sed invisibili Ecclesiæ Capite *ut in extravag. 5. de Pœnitentia inter communes*. Quod tamen præstare non poterit Episcopus, qui suorum subditorum voluntatem non possidet, quemadmodum possidet summus Pontifex, ut supremus totius Ecclesiæ Princeps; cui & Episcopi ipsi subjiciuntur; propterea ab impedimento Sponsalium, vel simplicis Voti castitatis nequibit Episcopus dispensare: hæc liquent *ex Cap. 4. de Concessione prabendarum, & Can. 4. Inferior. Dist. 21. Clement. 2. de Elect. in 6.*

§. III.

Ab impedimentis vero dirimentibus solus Romanus Pontifex dispensare potest, vel delegatus ab ipso.

1. Quia verò soli Romano Pontifici servata est potestas constituendi præter statuta a naturali, ac divino jure alia impedimenta Matrimonium dirimentia, ex eo evincitur, ab iisdem solum Romanum Pontificem posse dispensare, neminemque alium ab iis valide dispensare posse, non habita, vel expressa, vel tacita ejusdem Romani Pontificis delegatione; quia ipse cum sit supremus legislator nullo Ecclesiastico jure detinetur, reliqui vero Papæ inferiores detinentur omnes; inde sicut potest Ecclesiasticam legem constituere, ita illam potest abrogare, vel eidem derogare; quod in dispensatione ab Impedimentis dirimentibus sequitur. Et quamvis eadem dispensandi facultas, in impedimentis dirimentibus, quoties illa fuerint occulta, per nonnullos Doctores tribuatur Episcopis, tamen ex Benedicto Decimo quarto De Synodo Diœcesana *Lib. 7. Cap. 31.* docemur primo: „ Si sermo sit de Impe-
„ dimento, quod irritum reddit Matrimonium jam publicè contractum,
„ facultatem habere Episcopos illud relaxandi, concurrentibus tamen sex
„ circumstantiis, quarum Prima sit, ut Matrimonium jam fuerit contra-
„ ctum,

„ ctum in faciem Ecclesiæ, omnibusque adhibitis solemnitatibus. Secunda est, ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia. Tertia, ut sit consummatum. Quarta, ut Impedimentum sit occultum. Quinta, ut non possit facile adiri prima Sedes, seu Dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas. Sexta, denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo. = Quæ dispensatio ab Episcopis obtenta non proderit Dispensatis, nisi pro foro interno; cum major non sit Episcoporum potestas, quam ea, quæ est in majori Pœnitentiario Papæ, qui nonnisi pro foro interno dispensare potest in similibus rerum eventibus. „

2. Docemur secundo, quod agentes Doctores de Impedimento dirimente occulto, quod obstet Matrimonio nondum contracto, sed proxime contrahendo, & tales urgeant circumstantiæ, ut nec summus Pontifex consuli, nec Matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, & paratorum ad nuptias infamia, his inquam concurrentibus causis, si alius non suppetat modus præcavendi hæc mala, eorum plurimi tribuunt Episcopo facultatem dispensandi supra hujusmodi impedimento; quam facultatem præsumunt illi concessam a summo Pontifice, ex quo eam profecto requisitus non denegasset. Nonnulli tamen, ut Fagnanus eandem denegat Episcopo, & præcedentium Doctorum opinionem acriter reprehendit asserens, moraliter impossibile esse omnes eas circumstantias concurrere, in quibus nequeat Matrimonium retardari absque scandalo; cum plurimi præsto sint modi indicati a Perez *de Matrimonio Disp. 44. sectione 6. n. 12.* protrahendi tempus Nuptiis absque ulla suspicione criminis, & infamiæ eorum, qui jam erant ad eas celebrandas accincti.

3. Verum cum utraque sententia sit probabilis, si Matrimonium inter vinctos hujusmodi impedimento occulto dirimente precedenter ab Episcopo relaxato bona fide, & cum ipsa sit celebratum, quoties in ea perseverent contrahentes, ex sensu Sacræ Congregationis Concilii, eosdem esse relinquendos in bona fide, in *Mexicana Visitationis Sanctorum Liminum 31.* Martii 1708. *Tom. 9. tertiæ partis fol.* 42. Quinimmo post initum Matrimonium bona fide, si venerint in notitiam potuisse Episcopum solum probabiliter dispensare; quoniam agitur de valore Matrimonii jam contracti, non contrahendi, pro ejus valore semper standum est, ut similiter definivit sæpissime, & etiam in citata Mexicana eadem Sacra Tridentini Congregatio.

4. Si postea agatur de Matrimonio adhuc ineundo, nunquam licitum erit ad ejusdem celebrationem devenire, cum simili obtenta Dispensatione ab Episcopo; ex quo non liceat in Sacramentis &c. sequi opinionem probabilem, relicta tutiori, ne periculo nullitatis irreverenter eadem exponantur.

Num

Num autem tunc, cum enunciata Dispensatione valide Matrimonium contrahatur, (ut procedente ab extraordinaria potestate, quam ex præsumpta summi Pontificis voluntate in aliquo eventu urgentissimæ videlicet necessitatis, & impedimenti occulti, competere Episcopis asserunt prænuntiati Doctores), certo definiri non potest; quemadmodum nec definivit Sanctæ Memoriæ Benedictus XIV. adducto loco inquiens:
„ Nullum in præsens de ea, (nempe opinione eorum Doctorum) ferimus
„ judicium; sed tantum disserimus de ordinaria potestate dispensandi in
„ quibusdam impedimentis dirimentibus publicis. „

5. Quam Quæstionem statim solvit adducens Sacras Urbis Congregationes Concilii videlicet, ac supremæ Inquisitionis, non semel proscribentes tamquam falsam, & temerariam propositionem asserentem Episcopo jus dispensandi super Impedimento dirimente publico, quod obsistat Matrimonio contrahendo, etiam si gravis urgeat, illud contrahendi necessitas.
Deinde *num.* 4. addit. „ Verum sicuti graviter errant, qui potestatem,
„ de qua agitur, Episcopis adjudicant, unicè freti illo axiomate (quod
„ est, *quando non suppetat modus occurrendi malis, quæ sequerentur &c.*
„ *præsumendum est summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensan-*
„ *di*) cujus falsitatem plurima Concilia Provincialia, Ritualia Ecclesia-
„ rum, Auctoresque omnes agnoscere fatetur Natalis Alexander in alle-
„ gata Regula 51. ita periculum est, ne se, alio sque decipiant, qui eam
„ a consuetudine mutuantur. „ Tandem prosequitur ostendens, consuetudinem talem, si extaret, legitimam non esse; & si quæ in quibusdam Ecclesiis, quando non fuerit immemorabilis, & successive per usum producta, haberi non posse pro legitima, vel non haberini expressum ab Apostolica Sede Privilegium, a nullo ex impedimentis dirimentibus publicis posse Episcopos in suis Diœcesibus dispensare.
Propterea in negotio impedimentorum dirimentium Matrimonia, non aliam potestatem habet Episcopus quam, ut inquit *in Beneventana Matrimonii* 28. *Aprilis* 1759. Sacra Tridentini Congregatio *Tom.* 23. *fol.* 40. *Si Matrimonio opponatur impedimentum, quod, Episcopus procedat ad proclamata, & conficiat Processum formalem usque ad sententiam exclusivè, & transmittat ad Sacram Congregationem.*

6. Quando ergo agitur de Matrimonio vel contracto, vel contrahendo, cui inde opponitur impedimentum, post formatum Processum se abstinere debet a ferenda sententia Episcopus; cum hoc judicium reservatum sit supremo Tribunali, vel Romani Pontificis, vel Sacræ Congregationis Concilii ex ejus Pontificis ore, & cum ipsius præsentia loquentis; ex quo illa habeat facultatem scribendi nomine Papæ, ut testatur Fagnanus.

7. Si vero agatur de Dispensatione concedenda supra Impedimentis dirimentibus pro Matrimonio ineundo, & publica sint, nunquam poterit Episcopus eam elargiri, ut satis docuit Benedictus XIV. supra citatus.

8. Si

8. Si Impedimenta fuerint occulta, & detecta post initum Matrimonium, concurrentibus scilicet sex illis circumstantiis superius indicatis probabiliter, ut diximus, nonnulli censent, extraordinaria potestate implicite concessa à summo Pontifice, posse Episcopos supra iis impedimentis dispensare.

9. Tamen cavendum est, ne casus urgentissimæ necessitatis fingatur, qui revera non sit, atque ita onerentur conscientiæ tum Dispensantis, tum Dispensatorum.

10. Reliquum ergo est, ut pro certo habeatur, solum Romanum Pontificem potestate ordinaria posse dispensare supra Impedimentis dirimentibus Matrimonium; quando ea sunt juris merè Ecclesiastici; quando vero sunt juris naturalis, aut Divini, quamvis non omnia, saltem aliqua Dispensare potest potestate sibi delegata a Deo, non quidem directè: naturalem, aut Divinam legem relaxando: sed indirectè, idest mutando materiam, ex qua Impedimenta prodibant veluti Divinæ voluntatis constitutus interpres, declarando in peculiari circumstantia aliqua voluntatem Dei, velut auctoris naturæ, vel ut suum Jus Divinum constituentis non obligare.

§. IV.

Duo Tribunalia constituta a summo Pontifice pro Dispensationibus elargiendis, scilicet Dataria, & Pœnitentiaria, quorum uni commisit dispensationes ab impedimentis publicis, & alteri ab occultis, præsertim si illorum manifestatio fieri nequeat sine Oratorum infamia. Hinc leges a Bulla Innocentiana statutæ Tribunali Pœnitentiariæ expenduntur, ac modus servandus impetrandi ab ipsa dispensationes.

1. Cujus potestatis, vel ordinariæ, vel divinitus sibi delegatæ usum partialem, ac respectivum commisit Officialibus duorum Tribunalium, nempe Datariæ, & Sacræ Pœnitentieriæ, quibusdam legibus, ac limitationibus statutis pro quolibet ex prædictis Tribunalibus; ut illorum alterum supra quibusdam Impedimentis dispenset, alterum supra quibusdam aliis, nonnullis tamen gravissimis sibi reservatis.

Datariæ commisit potestatem dispensandi supra Impedimentis publicis; ad quod Tribunal non dirigitur supplicatio, sed ad summum Pontificem; in qua supplicatione exprimendus est Orator suo nomine, ac cognomine, Civitate, ac Diœcesi, cujus est. Exponendum similiter Impedimentum omnibus circumstantiis indutum, & causa, tum motiva, tum finalis porrectæ supplicationis, quæ omnia vera sint, ne obreptitia, vel subreptitia fiat, seu evadat dispensatio; sed quia dispensationes a Dataria solent medio Ordinarii Loci obtineri; quæ in iis petendis servari debent, diligenti cura ab iisdem Ordinariis custodiuntur; propterea non est hic opus, ut eadem expendamus. Quod

Quod opportunum est in Dispensationibus a Dataria obtentis, ut notetur, est Decretum Sanctissimi nostri Benedicti XIV. in *Causa Lisbonen. nullitatis Matrimonii* 13. Septembris 1755. *Tom.* 19. *Resolut. Sacræ Congregationis Tridentini Fol.* 151. in quo habetur: „ Primo, ut Matrimonium „ sit validum inter conjunctos tertio, & quarto gradu ex utroque latere „ non sufficere Dispensationem super uno tantum latere. „

Secundo. Matrimonium esse validum, sed illicitum sub obtenta Dispensatione quarti gradus reticito tertio, si contrahentes fuerint in tertio, & quarto gradu consanguinitatis conjuncti; nisi etiam super tertio obtineantur declaratoriæ ad formam Constitutionis Sancti Pii V., „ qui protestatus est, has nunquam expediturum in primo gradu con„ sanguinitatis, & primo affinitatis, in quibus nolle dispensare testatur.„

2. Pœnitentiariæ vero commisit Dispensationes concedendas supra quibusdam impedimentis dirimentibus, quæ tamen sint occulta: quæ, & qualia sint a Bulla Innocentii XII., quæ est duodecima in suo Bullario deprehenduntur.

Et primo tribuit summus Pontifex potestatem dispensandi summo Pœnitentiario supra Impedimentis impedientibus, nempe Voti simplicis castitatis &c., & Sponsalium, quoties hæc duo Impedimenta sint occulta. Hoc tamen monito, quod Dispensatio a Voto simplicis Castitatis non est, nisi ad illud unicum Matrimonium, pro quo obtenta est; Nam si eo soluto Matrimonio velit iterum dispensatus novum Matrimonium contrahere, nova egebit Dispensatione; quemadmodum si intra illud primum Matrimonium præter usum licitum Matrimonii, vel cum alia, vel etiam cum sua uxore contra castitatem peccaverit, peccabit quoque contra Votum, a quo non est dispensatus, nisi ad actus licitos Matrimonii.

Reliqua duo Impedimenta impedientia, quia semper publica, non pertinent ad Tribunal Sacræ Pœnitentiariæ; cum in Bulla legatur tantum quod „ In Matrimoniis contrahendis possit idem major Pœnitentiarius „ in foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ Matrimo„ nium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare. „

3. Cum autem sit sermo de impedimentis dirimentibus, denegatur summo Pœnitentiario potestas dispensandi ab infrascriptis, inquiente eadem Bulla. „ At a Dispensationibus super quocumque impedimento ex quo„ vis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive „ ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, „ tametsi Impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, „ in iisdem Matrimoniis contrahendis abstineat. „

Quando ergo agitur de Matrimonio contrahendo, licet recensita Impedimenta sint occulta, & periculum scandalorum vigeat; quia tamen nulla sequitur infamia in poscentibus dispensationem, ideo negata est po-

te-

testas summo Pœnitentiario supra iisdem dispensandi, ut ex citato Paragrapho Bullæ.

4. Per quem tamen non est ablata Potestas summo Pœnitentiario dispensandi supra Impedimento publicæ honestatis ortæ ex Sponsalibus validis, sed occultis; Nam sicut existente justa causa potest ab iisdem dispensare, ut ex primo Paragrapho Bullæ, ita debet posse dispensare supra Impedimento ab iis producto; licet nulla sequeretur infamia petentibus, si ad Datariam confugerent; cum posset tamen sequi grave aliquod malum, quod esset, si innotesceret parti, cum qua inita sunt Sponsalia, hujusmodi recursus ad Datariam: ex quo ea pars posset assumere litem, ac causam contra eum, qui dispensari cuperet, tum a vinculo Sponsalium, tum ab Impedimento ab iis producto, qua supplicatione Datariæ porrecta de occultis Sponsalibus fierent publica; & ita certum argumentum præberetur parti torquendi in Judicium eum, qui juste a Sponsalibus resilire posset; Ne inquam hæc mala sequantur, relicta est summo Pœnitentiario potestas dispensandi ab Impedimento publicæ honestatis producto a Sponsalibus validis, sed occultis.

5. Prosequitur Bulla recensens limitationes potestatis summi Pœnitentiarii, & inquit. ,, In Matrimoniis verò contractis a Dispensatione, seu Ma-
,, trimonii Revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tan-
,, tum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis
,, pariter abstineat, præter quam, si in hujusmodi secundo gradu tantum
,, Impedimentum saltem per Decennium duraverit occultum, & Oratores
,, simul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi
,, reputati fuerint. ,,

Si inquam Matrimonium cum his Impedimentis fuerit contractum, pro illius revalidatione non poterit summus Pœnitentiarius dispensare, nisi supra secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis, quoties per Decennium tale Impedimentum duraverit occultum, & Oratores &c. ut in prædicto Paragrapho.

6. Verum quia potest contingere, ut Dispensatio obtenta a Dataria super Impedimentis publicis nulla sit, vel quia obreptitia, vel quia subreptitia; & hoc, vel ob non manifestatam copulam incestuosam inter consanguineos, quæ præcesserit supplicationi dispensationis, vel si in supplicatione fuerit manifestata, fuit tamen reticita prava intentio, quam habuerunt incestuosi, per eam nempe reddendi faciliorem Dispensationis consecutionem; vel tandem quia in supplicatione exposuerint incestuosam copulam, quam non habuerunt, animo semper facilius impetrandi Dispensationem. Quia inquam per harum circumstantiarum taciturnitatem, vel expressam falsam existentiam earundem, redditur nulla Dispensatio a Dataria obtenta; hinc si hujusmodi circumstantiæ fuerint publicæ, nempe innotuerit copula a consanguineis invicem habita, &

hæc

hæc non fuerit expressa in supplicatione pro Revalidatione Dispensationis, nova Dispensatio, a Dataria petenda est; si vero fuerit occulta prædicta copula, nec timor sit, quod publicetur, tunc a Pœnitentiaria obtineri poterit Dispensatio. Similiter si prava intentio in dicta copula perpetranda evaserit publica, etiam pro hac contingentia ad Datariam reverti oportet pro impetranda Revalidatione; si vero perseveraverit occulta, erit in Potestate summi Pœnitentiarii invalidam Dispensationem a Dataria obtentam revalidare. Si tandem expressa fuerit copula incestuosa in supplicatione, quæ commissa non fuerit, quoniam nulla sequitur infamia Oratoribus, si apud Datariam sincere fateantur, eam non commisisse, quam falsò in supplicatione exposuerunt se perpetrasse, pro revalidatione obtentæ Dispensationis a Dataria, iterum ad eandem tenentur reverti. Ex quo deprehenditur, Dispensationem supra quibusvis Impedimentis dirimentibus, vel publicis, vel occultis reservatam esse Datariæ, quoties eorundem Impedimentorum expositio non inferat vel infamiam, vel periculum gravis damni Oratoribus; propterea inquit Bulla. „ In tertio autem, & quarto gradibus publicis revalidare Ma„ trimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis oc„ cultæ Litterarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in nar„ ratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat. „

Quæ potestas summo Pœnitentiario concessa revalidandi post celebrata Matrimonia Dispensationes a Dataria obtentas, & nullas ob occultas subreptiones, vel obreptiones, licet videatur ad solum tertium, vel quartum gradum correpta, tamen ad omnes se extendit, etiam pro Matrimoniis contrahendis ex sequenti Paragrapho ejusdem Bullæ, qui est. „ Quod si Oratores, qui obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super „ gradu prohibito, tam in primo, & secundo, quam in secundo tan„ tum, ac etiam in tertio, & quarto, tacita copula inter eos secuta, „ quam sine honoris detrimento detegere non valent, & ratione hujus„ modi taciturnitatis petant Dispensationem pro Matrimonio contrahendo, „ seu revalidatione Matrimonii contracti, possit idem major Pœnitentia„ rius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere; „ facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gra„ du, compositione quadraginta ducatorum &c. „ Et prosequitur paulo post disponens pro iis, qui nequeunt solvere statutam summam. „ Pos„ sit idem major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus per„ sonis explicitè affirmantibus, se uti tales, & sub illa expressa qualitate, „ & forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse. „

Pauperes autem, ac miserabiles Personæ quoad hunc effectum censentur, quæ laboribus suis victum diurnum sibi ipsis comparare tenentur, neque tanti possideant, quod valeat saltem pro tertia anni parte eos alere.

 7. Quod

7. Quod porrò pertinet ad Impedimentum cognationis spiritualis est, quod illud ex superius statutis in Bullà tolli non potest a summo Pœnitentiario antequam Matrimonium celebretur, cum nihil in ea dispositum sit circa ejus Dispensationem post Matrimonium celebratum; licet suboriatur dubium, = an in summo Pœnitentiario sit potestas ab eo dispensandi post contractum Matrimonium =, tamen & taciturnitas Bullæ, quæ expresse illud non aufert a potestate summi Pœnitentiarii, & Oraculum vivæ vocis ejusdem Innocentii XII., quo post Bullam denuo concessit Pœnitentiariæ quæcumque ad eam pertinentia ante Bullam, exceptis expresse reservatis in eadem Bulla, inter quæ expresse reservatum non erat, neque est impedimentum cognationis spiritualis in Matrimoniis contractis; hæc innotescunt ex Notificatione quinta quarti Voluminis Benedicti XIV., propterea negari non potest hujusmodi potestas summo Pœnitentiario, cum ante Bullam prorsus eandem possederit.

8. Quamvis, ut diximus, nequeat summus Pœnitentiarius supra Impedimento affinitatis dispensare, vel hæc ortum habeat a copula licita, vel illicita, quoties sit publicum, si fuerit tamen occultum, & a sola illicita copula productum, tam in Matrimoniis contractis, quam in contrahendis poterit summus Pœnitentiarius ab eo dispensationem elargiri, inquiente citata Bulla. „ Super Impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, „ seu actu Fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineat, vel „ non adesset, in Matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in „ foro conscientiæ tantum „ subintellige dispensare valeat.

Neque dubitare licet, de qua illicita copula loquatur Bullà, num de simplici tantum Fornicaria, num incestuosa, num adulterina. Nam sub expressione copulæ illicitæ omnes recensitæ continentur, præsertim cum alternativam adjecerit Bulla, scilicet, seu ex actu Fornicatio, per quam adjectionem ostendit, nomine illicitæ copulæ intellexisse quamcumque speciem ejusdem illicitæ copulæ.

9. Est tandem in summo Pœnitentiario ex eadem citata Bulla potestas dispensandi ab impedimento criminis: si illud fuerit occultum, ita prosequente eadem Bulla. „ Super Impedimento occulto criminis adulterii, „ si fuerit cum fide data dumtaxat Nertro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam contractis Matrimoniis dispensare: Si „ vero crimen hujusmodi fuisset utroque, vel altero machinante, patratum, possit dispensationem concedere: raro tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi; quod ex „ prudentia majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussà, in Congregatione, vel signatura arbitrandum erit. „

Hæc erant monenda pro Tribunali Pœnitentiariæ, quod nonnisi in Impedimentis occultis, & pro foro conscientiæ tantum dispensare potest; ad quod

quod frequentius confugere tenentur Parochi, & Confessarii, Parochianorum, ac Pœnitentium gratia.

10. Essent hoc loco exhibenda exemplaria supplicationum, vel Datariæ, vel Pœnitentieriæ porrigendarum. Verum quia dispensationum executio, si a Dataria eæ proveniant, committi solet Ordinario Oratorum, seu ejus Vicario, vel Officiali, in cujus Cancellaria, vel extant hujusmodi exemplaria, vel facile a peritis Officialibus illius confici possunt, non refert, ut exemplaria supplicationum porrigendarum Datariæ hic demus; cum prudentius agant Oratores medio eorum Ordinario dispensationem petendo, quam aliunde sibi ipsis eam procurando; cum ea executioni mandari non soleat, nisi per proprium eorundem Ordinarium.

11. Pretium est potius, ut exhibeamus genericam formulam supplicationis porrigendæ Pœnitentiariæ, quæque in ea exprimi debeant, ut validam consequatur Dispensationem; cum hæc committi soleat, vel Parochis, vel Confessariis Oratorum.

Plures describuntur formulæ harum supplicationum, tum a Canonistis, tam a Moralibus Theologis: a Pichler *Lib. 4. Tit. 16. de Dispensatione Impedimentorum Parag. 3. num. 28. & sequent. usque ad Parag. 4.*
A Maschat *Lib. 4. Tract. de Dispensationibus Matrimonialibus §. 3. & 4.* A Sporer *Theolog. Sacramental. de Matrim.*, & similiter a Lacroix eodem loco.

Eæ inquam formulæ, quoniam plures, & diversæ, & legi, & proportionatæ casui, pro quo supplicatio facienda sit, eligi poterunt.

12. Quod tamen in iis cudendis, seu exarandis, curari, ac caveri debet, est: primo nomina Oratorum non esse exprimenda, sed per literam NN. indicandi sunt Oratores, deinde exponendum impedimentum cum omnibus suis circumstantiis, postea causa movens Oratores ad petendam Dispensationem, quæque justa, ac sufficiens sit ad dispensandum.

Tandem notetur in supplicatione, vel Civitas, vel Diœcesis, ad quam dispensatio dirigenda est a Pœnitentiaria, & simul nomen, ac cognomen Parochi, vel Confessarii, cui committenda sit dispensatio.

Ideo non sunt exprimenda nomina propria Oratorum; quia hujusmodi Dispensatio pertinet ad forum Pœnitentiale, atque ut plurimum sequeretur Oratorum infamia, si propriis nominibus indicarentur.

Ideo similiter debet exprimi Civitatis, seu Diœcesis nomen, & etiam nomen Parochi, vel Confessarii, cui committitur Dispensatio; quia Litteræ Dispensationum, vel Datariæ, vel Pœnitentiariæ non sunt, nisi commissio, seu deputatio alicui facta ad dispensandum; non vero Testimonium peractæ Dispensationis, ita monente Sacra Tridentini Congregatione *in Montis Falisci nullitatis Matrimonii* 28. Augusti 1751. *Tom. 15. Fol. 122. Matrimonium*, inquit, *initum bona fide, inter consanguineos quarto gradu nullum declaratur, & Dispensatio Datariæ obtenta non est nisi mandatum dis-*

dispensandi, quemadmodum etiam ex Pœnitentiaria, quibus obtentis, & non executis integrum est resilire. Unde, ut beneficium dispensationis consequi valeant Oratores, necessario innotescere debet sacræ Pœnitentiariæ nomen Personæ, & ejus Civitas, vel Diœcesis, cui committere possit facultatem dispensandi.

13. Quia verò Dispensationis Litteras, seu Brevia dirigere solet sacra Pœnitentiaria sub altero ex recensendis titulis = scilicet vel discreto Viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario. Vel tandem discreto Viro Confessario ex approbatis ab Ordinario; quovis tamen modo fiat, ad validam earumdem Litterarum executionem requiritur in Dispensante delegato qualitas, seu titulus eidem tributus in facie expeditarum Litterarum: nempe si fuerint directæ discreto Viro Confessori Magistro in Sacra Theologia, vel Decretorum Doctori = quod in publica Universitate Doctoralem Lauream sit consecutus, vel in Theologia, vel in Jure Canonico; cum satis non sit, eum docuisse, vel docere in Claustris, vel Theologiam, vel Jus Canonicum, aut Magisterii gradum in Monasterio possidere: *ut num. 32. cit. Notif. Bened. XIV.* excipiuntur tamen Jesuitæ, qui privilegio Gregorii XIII. fiunt capaces exequendi hujusmodi Litteras, licet gradu Doctorali careant, dummodo sint approbati ad Confessiones ab Ordinario dispensandorum, & ex eorum Generali sint destinati ad aperiendas dictas Litteras; quod privilegium ratione communicationis privilegiorum cum Societate Jesu aliis Religionibus, ac Religiosis non communicatur. Solis enim Minoribus Observantibus ab Innocentio XI. concessum est simile privilegium pro eorum Lectoribus jubilatis.

Si autem directæ fuerint discreto Viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, in eo prorsus requiritur, ut tempore executionis Litterarum perseveret dispensans in prædicta vera, atque expressa approbatione; nam dici non potest actu approbatus, cui cessavit, licet proxime data approbatio: *ut ex cit. §. seu num. 32. satis liquet*.

14. Obtentis itaque Litteris Dispensationum, si a Dataria venerint, Ordinariis locorum tradendæ sunt; ab iisque aperiendæ, atque exequendæ; quibus executis, si fuerint pro Matrimonio ineundo, illud in posterum celebrandum est coram Parocho, & Testibus, servatisque aliis a Tridentino præscriptis formis, ac solemnitatibus.

Si pro Matrimonio nulliter contracto resarciendo, ac revalidando, etsi occulta fuerint impedimenta, in quibus est dispensatum, similiter coram Parocho, & Testibus renovandus est Matrimonialis consensus. Ita præ aliis disponente Sacra Tridentini Congregat. in Reatina 13. Julii 1715. *Tom. 3. Fol. 192. sub secundo dubio. = An consensus a Contrahentibus sit renovandus coram Parocho, & Testibus in casu &c.*

Ad secundum *AFFIRMATIVE.*

15. Cum

15. Cum porro a sacra Pœnitentiaria fuerint expeditæ; eæ nec tradi debent, nisi habenti notas, ac caracteres in facie Litterarum descriptos, neque a quoquam alio, quam ab eo aperiendæ: quæ tamen quavis ex causa, si apertæ ab alio fuerint, non inde evanescunt; sed ita apertæ tradi possunt, ac debent habenti prædictas notas, ut eas exequatur, ac simul dispenset.

Hic tamen Executor primitus causam scrutabitur, & quidem a solo Pœnitente, obtentarum Litterarum, quam nisi veritati nitentem invenerit, ad dispensandum non procedet; quemadmodum etiam scrutabitur quæcumque exposita in iisdemet Litteris: num & ipsa vera sint; quæ si veritate careant, vel etiam una ex circumstantiis expositis nutet, a dispensando cessabit; nisi id, seu omnia noverit ex præcedentibus Confessionibus Pœnitentis.

Comperta deinde precum veritate omnimoda, ante Dispensationem audiet prius Sacramentalem Confessionem Pœnitentis dispensandi, illique Pœnitentias in Brevi expositas, aliasque arbitrarias quidem, sed a nimio rigore, ac laxitate remotas imponat; postea ad dispensandum supra Impedimento procedat. Utetur autem consueta formula a Pichlerio, atque Maschat descripta superius citatis, quam sub fine hujus expositionis de Dispensationibus, & nos describemus.

16. Verum quia in prædictis Litteris, quædam observandæ cautiones apponuntur, de istis dicemus.

Prima est, ut Impedimentum, a quo est dispensandus Pœnitens Orator, sit vel omnino occultum, vel simpliciter occultum.

Si postuletur a Pœnitentiaria, quod sit omnino occultum, profecto requiritur, quod nulli alii innotescat, prærerquam Pœnitenti Oratori, ac Confessario; & quia a Sacra Pœnitentiaria expeti non solet, quod Impedimentum sit omninò occultum, nisi cum fuerit Impedimentum Criminis, inquiente Prospero Fagnano *Cap. Vestra de cohabitatione Cleric. & Mulier. num.* 120. „ Illud Impedimentum esse omnino occultum, „ quod uterque Oratorum in morte dicti Mariti machinatus sit, & plane „ ignoretur, quod ejus mors inde secuta sit, & nulla ratione probari „ possit. „ Debet ergo impedimentum, ut sit omninò occultum, tale esse, quod nulla ratione probari possit, ad hoc, ut apposita hæc clausula verificetur.

Si autem a Pœnitentiaria quæratur, ut impedimentum sit simpliciter occultum; quod hac dictione ipsa solet exprimere, scilicet, *dummodo impedimentum præfatum occultum sit*; tunc hæc clausula verificabitur, etsi quatuor, vel quinque Personis innotescat; ut docet idem Fagnanus *loco citato*, inquiens *num.* 45. „ dicitur Impedimentum, vel Crimen occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor, vel quinque, & „ hanc opinionem servat Sacra Pœnitentiaria: „ tamen dispensans cavere

 debet

debet a dispensando, si prudenter suspicari possit delictum, seu impedimentum de occulto posse evadere in proximo publicum.

Ob hanc clausulam plures moventur Quæstiones, prima est: num dici possit occultum illud impedimentum, quod publice contractum fuit in loco commissi delicti, sed occultum in loco, ubi Oratores morantur.

17. Dimissa hujus quæstionis solutione, quod praxim respicit est, Exequentem Litteras Pœnitentiariæ observare debere, num in supplicatione expressum fuerit illud delictum ut alibi publicum, seu publicè commissum, & in qua Oratores morantur Ditione occultum; si ita fuerit expressum, procedet ad Dispensationem delegatus Confessarius; si vero hoc fuerit ommissum, se continebit a Dispensatione, sed novas Litteras cum hujusmodi expressione obtinendas suadebit Pœnitenti, seu Pœnitentibus Oratoribus.

Secunda est, Si delictum fuerit materialiter publicum, sed formaliter occultum, idest nulli ex iis, quibus notum est crimen, innotescat impedimentum adjectum illi crimini, num cum sola, ea formali occultatione dici possit satis occultum, ut valeat de eo Dispensatio. Cui quæstioni respondet Giribaldus *de Sacram. Matrimonii Cap.* 18. §. 4. *num:* 22. citatus a Benedicto XIV. in dicta Vigesima Notificatione *num.* 42. inquiens. „ Executorem posse absolutionem, seu Dispensationem concedere, si delictum, seu Impedimentum sit occultum formaliter, quamvis sit materialiter publicum, quia sufficienter verificantur Verba in Dispensatione posita: *Dummodo Impedimentum sit occultum*. „

Verum hæc responsio non placuit prædicto summo Pontifici; quinimmo fatetur, se Navarri oppositam sententiam amplecti, inquientis *Tract. de pœnis Ecclesiasticis part. prima Cap.* 21. §. *advertendum secundo*: „ Aliqui audent ulterius, & dicunt. Etiamsi sit publicum ut delictum, si tamen sit occultum in ratione pœnæ annexæ a jure, posse dispensari, vel absolvi ab illa tamquam in occultis. Tamen contrarium tenendum est, quia hæc est juris ignorantia, quæ non excusat ad hunc effectum: & hoc observat sacra Pœnitentiaria. „

Tertia est: Si impedimentum, seu delictum fuerit quidem retro publicum, sed lapsu temporis evaserit nunc occultum; Atque ita in eo esse nunc qualitatem occulti sufficientem pro executione Dispensationis?

Hanc solvit Marcus Paulus Leo *Parte secunda Formularum Dispensationum Matrimonialium pag.* 133. „ Notandum, ait, quarto, & ultimo, non implicare, quod aliquid a sui origine, & principio fuerit publicum, & tractu temporis fiat occultum; Tempus enim omnia devorat: & quæ non delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum, etiam pluries meo tempore signatura Officii Sacræ Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus; in Dispensationibus Matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti, & triginta annorum spatium. „ Si

Si ergo a publico ad occultum transierit impedimentum, atque per decennium perseveraverit occultum, satis id erit, ut pro occulto habeatur ad effectum super eo dispensandi; neque est quidquam oppositum prohibens, præterquam, si ad Forum contentiosum delictum pariens impedimentum fuisset deductum, & reus non fuisset absolutus ex capite Innocentiæ, sed tantum dimissus cum onere se præsentandi; Nam tunc periculum esset, quod in próximo de occulto evaderet publicum illud delictum; & propterea sola ignorantia juris de Impedimento superesset, quæ non sufficeret ad relinquendum occultum impedimentum ea ratione, qua est dispensabile a Sacra Pœnitentiaria.

18. Et hinc liquet, quare Dispensatio Pœnitentiariæ non valeat, nisi pro Foro interno: inquiente eadem citata Innocentii Bulla: „ Ita quod hu„ jusmodi absolutio, & dispensatio in Foro Judiciario nullatenus suffrage„ tur, aliudque non obstet, præsentibus laceratis, quas sub pœna ex„ communicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, itaut nullum earum „ exemplar extet, neque eas Latori restituas, Quod si restitueris, nihil „ ei præsentes litteræ suffragentur. „

Ideo enim in hoc Paragrapho jussit Bulla sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerationem Litterarum; ut apertè manifestaret suam Dispensationem non valere, nisi pro Foro conscientiæ; propterea, ut inquit Navarrus citatus: „ si contingeret aliquando etiam post contractum „ in vim Dispensationis Matrimonium, ut impedimentum ex occulto fie„ ret publicum, posset Ordinarius loci eos separare a Thoro &c. Verum „ tamen est, quod in Foro conscientiæ, seu in Foro animæ isti essent ve„ ri conjuges, quia vere fuerunt legitime dispensati in vim Litterarum „ Sacræ Pœnitentiariæ quoad Forum conscientiæ; & sic, si tempore „ separationis, remoto scandalo, debitum conjugale sibi ad invicem redde„ rent, nullum peccatum committerent; quia per secretam Dispensatio„ nem Sacræ Pœnitentiariæ vere esset sublatum Impedimentum tunc oc„ cultum. „

In quo rerum eventu monent plurimi, atque idem Benedictus XIV. quod dictus Loci Ordinarius, si secreto moneretur de obtenta, atque executa Dispensatione Pœnitentiariæ a Confessario dispensante, teneretur quiescere a confectione Processus, atque a statuenda, ac præscribenda separatione prædictorum conjugum: inquiente Filucio citato in prænunciata Notificatione. „ Non puto tamen prohiberi, quominus fieri pos„ sit aliqua fides a Confessario de absolutione, vel Dispensatione impen„ sa, pro consolatione Pœnitentis, vel pro Testimonio apud Episcopum „ obtentæ justificationis. „

Cui fidei ita debet deferre Episcopus, ut cesset a formatione Processus: ita huic quæsito a Clericato confecto, nempe, poterit ne Confessarius eundem Judicem admonere de Dispensatione supra largita ad hoc, ut

 desi-

desistat a formatione Processus? Respondentibus eodem Filucio, & Tamburino, *AFFIRMATIVE*,
„ dummodo Confessarius secreto moneat Episcopum, Parochum, & Ju-
„ dicem; qui omnes acquiescere debebunt hujusmodi notitiæ, ac certifi-
„ cationi; „ atque ita præcepisse sæpius summum Pœnitentiarium Episcopis localibus docet citatus Benedictus XIV.

19. Non refert, ut exponatur alia cautio, quæ est = *aliudque non obstet*, quæ ideo apponitur a Pœnitentiaria, ut ostendat ab illo tantum impedimento committere Dispensationem, quod fuit in supplici libello expositum, non vero a quolibet alio, si adesset.

20. Quemadmodum pretium non est, ut immoremur in ea clausula exponenda, videlicet = *præsentibus laceratis*; Nam hæc clausula in iis tantum Dispensationibus habetur, cum agitur de Matrimonio nulliter contracto revalidando absque præsentia Parochi, & Testium; tunc enim lacerandæ sunt Dispensatoriæ Litteræ; quia tunc nullum Testimonium exhibere possunt validitatis Matrimonii noviter restaurati: cum ne dubium quidem de ejus validitate suboriri potuerit apud Ecclesiam, in cujus faciem primitus celebratum fuerat.

21. Quando vero Litteræ Dispensatoriæ non supponunt Matrimonium celebratum præcedenter in faciem Ecclesiæ, sed tantummodo publicam opinionem de eo celebrato; uti esset pro degentibus in concubinatu, sed speciem habentibus verorum conjugum; tunc illæ non habent clausulam *præsentibus laceratis*; quinimò illæ caute custodiendæ sunt a deputato Executore, ut valeat rationem reddere de suo gesto, si causa fuerit hujusmodi rationem reddendi.

22. Executis itaque Dispensationum Pœnitentiariæ Litteris, Matrimonium præcedens nulliter celebratum non statim convalescit, sed ulterius requiritur novus utriusque conjugis consensus, quandoque exhibendus coram Parocho, & Testibus, a quibus juramentum silentii præstari, atque expeti debet = nempe quando in faciem Ecclesiæ non fuit præcedenter celebratum, sed dispensati communiter habiti sunt, ut veri conjuges = quandoque sine præsentia Parochi, & Testium: scilicet quando Matrimonium jam fuerat celebratum ante Dispensationem, sed nulliter, propter impedimentum occultum, de quo postea est dispensatum; cum enim tunc Ecclesia habeat certum Testimonium de celebrato eo Matrimonio, & impedimentum dirimens illi, nempe Ecclesiæ, sit occultum; ideo non postulat, ut coram Parocho, & Testibus renovent dispensati consensus suos, sed illi sufficit, si privatim inter ipsos nullo adhibito, vel Parocho, vel Teste eundem consensum renovent; pro quo peculiari eventu Tridentini legem de præsentia Parochi, & Testium ad validitatem Matrimonii requisita relaxat; ut patet ex ultima cautione citatæ Innocentianæ Bullæ, quæ est: *Demum dummodo impedimentum*

præ-

præfatum occultum sit, & separatio inter Latorem, & dictam Mulierem fieri non possit absque scandalo, aliudque non obest, cum eodem Latore, ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut Latoris delictum nunquam detegatur, Matrimonium cum eadem Muliere, & uterque inter se de novo secreto ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere legitime valeat, misericorditer dispenses.

Qua Bullæ dispositione constat Matrimonium nulliter jam celebratum propter impedimentum occultum, ab eoque dispensatum, & postea restaurandum pro eo superius dicto peculiari eventu relictum esse ab Ecclesia sub dispositione solius naturalis Juris, tantummodo requirentis pro Matrimonii validitate verum atque reciprocum contrahentium consensum; qui nullo præsente Parocho, nulloque Teste præstari potest.

23. Quare autem ab executione dipensationis non statim convalescat Matrimonium, sed ulterius requiratur, ut denuo contrahant dispensati per novum, atque expressum utriusque exhibitum consensum, certiorque fiat pars innocens de nullitate prioris dati consensus, est, quia Dispensatio sive a Dataria, sive a Sacra Pœnitentiaria obtenta, licet habeat vim tollendi impedimenta, ne imposterum obstent Matrimonio, ac dirimant idem Matrimonium celebrandum, efficiatque habiles dispensatos ad contrahendum; tamen vim non habet abrogandi effectus productos ab impedimentis, antequam ea per dispensationem tollerentur. Effectus autem ab impedimentis producti hi erant: primus ligatos impedimento decernebat inhabiles ad contrahendum: secundus obstabat, ne dati consensus a vinctis impedimento, quamvis jure naturæ essent veri, ac validi consensus, ne invicem connecterentur, atque inde ne exurget validum Matrimonium; propterea cum dati ii consensus sub impedimento a prædictis effectibus semper maneant affecti, atque comprehensi, etsi imposterum tollatur impedimentum, non tamen per hujusmodi impedimenti sublationem solvuntur a prædicta affectione; Unde semper verificatur, quod tempore, quo ligati impedimento contraxerunt, erant inhabiles ad contrahendum, & quod tunc dati consensus fuerunt intercepti, ne invicem necterenrur ad Matrimonium stabiliendum; quæ interceptio tamdiu durat, quandiu durant ii effectus, qui nonnisi per expressam eorundem abrogationem a solo Pontifice præstandam tolli possunt.

24. Cum ergo summus Pontifex non dederit constitutis Tribunalibus Datariæ, & Pœnitentiariæ potestatem abrogandi prædictos effectus, sed tantum tollendi impedimenta, atque efficiendi habiles dispensatos ad noviter contrahendum, hinc innotescit, quare dispensati ab his Tribunalibus teneantur novum consensum Matrimonialem emittere, vel coram Parocho, & Testibus, vel privatim pro conditione, tum Impedimenti, tum Dispensatorum, tum Tribunalium, a quibus obtenta est Dispensatio.

Ex

Et similiter deprehendi potest necessitas renovationis consensus faciendæ ab utroque contrahente, quamvis ex iis unus sit innocens; ex quo illius consensus præcedenter datus maneat comprehensus, & affectus ab effectibus productis ab impedimento, quod vigebat tempore ejusdem dati consensus.

Hinc proinde conspicitur necessitas, ut hic innocens certioretur de nullitate Matrimonii jam celebrati; ne ex errore, quem habet idem innocens de valore sui præcedentis consensus, novum consensum non præbeat, sed veterem confirmet tantummodo; quæ confirmatio sub iisdem vinculis, quibus erat constitutus præcedens consensus & ipsa remaneret; propterea non sufficiens ad novum constituendum Matrimonium.

25. Præcipit tamen Bulla, ut Innocens tam cautè certioretur de nullitate præcedentis Matrimonii, ut venire nequeat in notitiam Impedimenti, supra quo est Dispensatum; quod aptius fieri non posse arbitrantur nonnulli Theologi, quam si reus dispensatus dicat innocenti, se verum consensum non habuisse, quando Matrimonium cum eo, vel ea innocente contraxit; proinde ad hujusmodi Matrimonium resarciendum, sicut ipse tenetur novum præstare consensum, ita & pars innocens. Quod quidem in hac re prorsus certum est, hoc unum est, non sufficere, quod de nullitate Matrimonii sub dubio certioretur pars, sed requiritur, ut omnimode certo illi innotescat Matrimonium fuisse nullum; & similiter, quod consensus exhibendus ab eadem parte innocente certiorata non sit hypotheticus, sed absolutus, & in omnibus similis illi, qui exhibetur ab iis, qui primitus Matrimonium validum contrahunt; ex quo liquet, non sufficere consensum implicitum, qui a quibusdam fingitur in subsequente copula affectu Maritali habenda; quoniam ipsa non præmisso Matrimoniali expresso consensu esset fornicaria, cum per ipsam non Matrimonia contrahantur, sed consumentur; idque specialius constet ex Tridentino *de Reformatione*; & ex antiquis Canonibus statuentibus, quod Matrimonium facit non copula, sed consensus.

Neque sufficere consensum ab innocente non certiorato de nullitate præcedentis Matrimonii præstitum in Testimonium amoris erga alterum conjugem reum, quo ipse innocens protestetur, quod, etiamsi nullum fuisset illorum celebratum Matrimonium, adhuc denuo daret suum consensum; quem revera nunc dare intendit, ac dat, illique adjungatur consensus Rei; Quia tunc non verificaretur particula Bullæ de certiorata parte circa nullitatem præcedentis Matrimonii; cujus verificatio essentialiter ad validam dispensationem postulatur a Sacra Pœnitentiaria teste Benedict. XIV.; & etiam quia hujusmodi consensus innocentis non esset absolutus, sed hypotheticus; cum hic innocens non certioratus de nullitate prioris Matrimonii suasus esse non posset, se posse ita disponere, cum se ligatum arbitretur a præcedenti consensu; unde posterior

rior illius consensus nonnisi hypotheticus esse potest; ab hypothetico autem consensu nihil poni potest in esse; cum omne hypotheticum sit illud, quod esset, si, & non est; itaque præfatus consensus Innocentis non certiorati sufficere nequit ad reintegrandum, vel denuo celebrandum post obtentam Dispensationem impedimentorum a Sacra Pœnitentiaria Matrimonium.

Quemadmodum non sufficere quodlibet aliud inventum a Theologis suggestum, vel innocentem certiorandi, vel renovandi consensum; cum præter superius indicatum, nullum aliud admitti posse videatur ex citato Benedict. XIV.

26. Quod tamen operosum est, ac difficile curatione, est, quando ex certioratione partis innocentis prudenter timeretur ejusdem innocentis partis recessus, & exinde scandala, neces, similiaque mala; in qua facti contingentia monet idem Benedict. XIV. debere Delegatum ad dispensandum summum Pœnitentiarium iterum adire, sicut in quibuslibet aliis obstantibus litterarum executioni; atque ab eo obtinere leges, & modum, quo velit ipse Pœnitentiarius elargitam suam Dispensationem exequi:

§. V.

Dispensationes in radice, quæ sint, & quare a solo supremo Principe concedantur.

1. SI autem non suppetat summo Pœnitentiario modus inducendi certiorandum ad noviter consentiendum, tunc ipse summus Pœnitentiarius a summo Pontifice impetrabit Dispensationem ab illo Impedimento absque onere renovationis consensus faciendæ post obtentam Dispensationem, tum a Reo, tum ab Innocente; quæ tamen Dispensatio nunquam dabitur a summo Pontifice, nisi in hypothesi, quod Innocens precedenter non fuerit certioratus de nullitate antecedentis Matrimonii; cum supposita certioratione Innocentis, supponi non posset perseverantia moralis sui consensus naturaliter validi dati in præcelebrato nullo Matrimonio; hinc caute est procedendum in hoc rerum discrimine: scilicet quando prævidetur, quod pars Innocens, si certioretur, sit recedenda: Nam tunc omittenda est certioratio, & pro nova Dispensatione, quæ dicitur Dispensatio in radice, summo Pontifici est supplicandum; cum in ipso hujusmodi sit potestas; ut præter alia novissima definivit *in Ipren. visitationis Sacrorum Liminum* 17. *Augusti* 1737. Sacra Tridentini Congregatio *Tom.* 8. *part. prima Fol.* 125. *usque ad Fol.* 133. inquiens: *Matrimonium invalidum ob aliquando impedimentum de Jure Ecclesiastico dirimens concurrente legitima causa potest summus Pontifex in radice convalidare.*

Ete-

Etenim hæc sola est, quæ potest restaurare Matrimonia nulliter contracta ob impedimentum juris Ecclesiastici tantum absque renovatione consensuum exhibendorum ab utrisque putatis conjugibus; quia hæc sola est, quæ abrogat effectus productos ab impedimentis dirimentibus juris positivi, & restituit consensus datos a conjugibus in præcedenti nullo Matrimonio ad eorum esse naturale, quod habuerunt, quando fuerunt emissi; & sicut tunc fuerunt validi jure naturæ, licet postea intercepti ab effectibus Impedimentorum, ne invicem necterentur ad validum constituendum Matrimonium: nunc autem sublatis iis effectibus, atque abrogatis per hujusmodi Dispensationem, ita supersunt immunes a qualibet affectione, ut statim invicem nectantur, sicque tribuant valorem eidem Matrimonio præcedenti; quo prædictum Matrimonium caruit, quousque enuntiati consensus permanserunt obnoxii, atque comprehensi ab effectibus prædictis impedimentorum.

Sicut ergo, ut superius advertimus, hanc potestatem abrogandi effectus productos ab Impedimentis dirimentibus juris Ecclesiastici non dedit summus Pontifex ulli ex Tribunalibus statutis ad dispensandum in Impedimentis Matrimonialibus; apparet propterea pro hac Dispensatione obtinenda solum Romanum Pontificem esse exorandum.

2. De hac Dispensationis specie meminit Benedictus XIV. in citatata Notificatione Num. 80. inquiens de summo Pontifice. „ Non solo può torre „ di mezzo gli effetti gia da esso prodotti (cioè dall' Impedimento) se„ condo il Testo nella Clementina unica *de immunitate Ecclesiarum*, e co„ me giornalmente si vede nelle legittimazioni, che dà *in radice Matri„ monii*, ma essendovi già stato nel principio un consenso naturale, po„ trebbe forse, se volesse, dispensare dalla rinovazione del consenso: co„ me senza novo consenso furono revalidati alcuni Matrimonii contratti „ nullamente nell' Indie da certi chiamati *Tucueles*, e *Quartarones* con „ un Breve spedito dalla santa Memoria di Clemente XI. alli 2. Aprile „ 1701. „ Unde prosequitur idem Benedictus, in hujusmodi facti contingentia debere Parochum, vel Confessarium Oratoris prudenter metuentis recessum sui innocentis conjugis, si certioretur de nullitate jam initi Matrimonii, Episcopum consulere suppresso Oratoris nomine, ne infametur, qui vel indicabit modum, quo possit induci innocens certiorandus ad noviter consentiendum, vel hoc desperato, pro rei gravitate ad summum Pœnitentiarium diriget novam supplicationem, exposita morali impossibilitate inducendi innocentem ad noviter consentiendum, si certioretur, & gravissima mala, non restaurato hujusmodi Matrimonio, quæ sequerentur. Qui summus Pœnitentiarius, licet ordinariam Potestatem non habeat dispensandi in radice, eam tamen si causa postulaverit, obtinere poterit a summo Pontifice. Hacque via consuli poterit salebroso huic eventui.

§. VI.

§. VI.

Formulæ exequendi dispensationes a Pœnitentiaria obtentas.

1. QUod sub fine sermonis de Dispensationibus polliciti sumus, nunc damus, estque formula a Delegato dispensante adhibenda in Dispensationibus obtentis a Sacra Pœnitentiaria.

Postquam enim in Sacramentali Confessione audita protulerit delegatus Dispensans formulam absolutionis tum a censuris, tum a peccatis, hæc addet: „ Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata
„ dispenso tecum super impedimento (hicque exprimatur individuum im-
„ pedimentum supra quo dispensatur. Deinde prosequatur) ut præfato
„ impedimento non obstante, Matrimonium cum dicta Muliere publice,
„ servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consumare, ac in eo re-
„ manere licite possis, & valeas. In Nomine Patris, & Filii, & Spiri-
„ tus Sancti. Amen. „
„ Insuper eadem auctoritate Apostolica prolem, quam ex Matrimonio su-
„ sceperis, legitimam fore nuntio, & declaro. In Nomine Patris, & Fi-
„ lii, & Spiritus Sancti. Amen. „

2. Si verò Matrimonium non sit primò celebrandum, sed jam nulliter initum & inde restaurandum, tunc præmissa eadem absolutione a Censuris, & peccatis, hæc dicat: „ Et insuper auctoritate Apostolica mihi specia-
„ liter delegata dispenso tecum super impedimento (& hic de more ex-
„ primatur impedimentum) ut eo non obstante Matrimonium consummare,
„ & in eo remanere licite possis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ Sancti. Amen. „
„ Et pariter eadem auctoritate Apostolica, prolem si quam suscepisti, &
„ susceperis legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, & Fi-
„ lii, & Spiritus Sancti. Amen. „

3. His peractis Brevia, quæ laceranda sunt, lacerabit Dispensans, quæ servanda, servabit. Ita eodem Benedicto XIV. monente in prædicta Notificatione vigesima Voluminis quarti.

Et hæc de Dispensationibus Matrimonialibus, quæ respiciunt, vel Matrimonia ineunda inter inhabiles, vel nulliter celebrata resarcienda, ac validitati donanda.



CAPUT

CAPUT SEXTUM.

DE VALIDI MATRIMONII EFFECTIBUS, JURIBUS, ATQUE ONERIBUS.

Posita autem Matrimoniorum validitate, qui ex iis effectus prodeant, quæ jura, quæve onera in conjugatos derivent, promissa solventes, enumerare teneremur. Verum hæc sparsim in dictis egimus. Et si quid dicendum supersit, hic compendiose proferemus.

§. I.

Recensentur effectus.

1. Et primo: Effectus ex valido Matrimonio provenientes sunt, vinculum conjugale, bonum Fidei conjugalis, bonum prolis, & bonum Sacramenti; Vinculum enim conjugale ex mutuo Maritali consensu producitur, dicens relationem ad utrumque conjugem, quo in facto esse Matrimonium constituitur, seu status conjugalis, individuam vitæ societatem continens, a quo bonum Fidei conjugalis descendit; hocque cum sit jus Maritale, aut mutua potestas in corpora, vi cujus tenentur conjuges mutuum amorem, atque amicitiam sibi ipsis exhibere; fit propterea, ut communiter in eadem Domo habitent, communi mensa, ac Thalamo utantur; nullique extraneo vel per Nuptias, vel per furtivas libidines commisceantur. Et en ex eo tertius effectus, nempe bonum prolis, quod profecto ex bono fidei conjugalis semper habetur; nam servato mutuo amore, & reliquis inde consequentibus, necesse est, prolem nasci legitimam, ali, & educari probe, atque Christiane. Quorum bonorum fautrix est gratia Sacramentalis Matrimonii; quæ est quartus Matrimonii effectus, & tertium illius bonum, appellatum bonum Sacramenti. In Matrimonii enim celebratione præter gratiam sanctificantem, si absque peccati obice fiat, confertur jus ad auxilia peculiaria bene, ac sancte vivendi in hoc difficili insidiarum pleno statu, ejus quoque patienter ferrendi onera; quinimmo si cum obice suscipiatur, multorum sententia est, quod remoto obice, reviviscat.



§. II.


§. I I.

Similiter Jura, ac onera.

SEcundo: Jura, ac onera a Matrimonio derivantia in conjuges, quæ cum relativa sint, ut unius jura fiant alterius onera, & e converso; hæc similiter ex recensitis Matrimonii bonis descendunt; & sunt primo Mariti potestas in Uxorem, cujus ipse est caput, non quidem dominativum, sed sociale, præsertim in familiæ gubernatione, eam habens ut sociam subordinatam, non vero ut Ancillam. Secundo patria potestas in Filios, de qua Civilistæ. Tertio jura Uxoris sunt, corruscare radiis Mariti, participando ejus Nobilitatem, Dignitatem, Privilegia, Fori, Sessionis, Immunitatis, Domicilii &c. quæ omnia habent Civilistæ.

Onera tandem conjugibus communia ad alienos descendentia sunt, alendi, probe pie, Christianeque educandi prolem, de quibus, tum Theologi, tum Legales abunde differunt.

His ergo effectibus, juribus, atque oneribus a Matrimoniorum valore productis tria bona Matrimonii gignentibus si comitetur conjugum cooperatio, legalisque vita honestati, Justitiæ, Christianæ pietati, ac prudentiæ dedita, eæ erunt personarum circumstantiæ quæ bonos ominantur Matrimoniorum eventus. Quarum defectu infausta pollicentur Matrimonia, ut si fieri posset, quæ inita sunt Matrimonia, solvenda essent: Quapropter hic operis complementum erit de Matrimoniorum dissolutione, si quæ, & qualis sit, breviter agere.



CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

DE DIVORTIIS.

ETsi Matrimonium, vel ut officium naturæ, vel ut Sacramentum, indissolubile juribus omnibus decernatur: *Trident. sess.* 24. exponente Adami prophæticum effatum jus naturale manifestans, scilicet „ Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis „ parens, divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: hoc nunc os „ ex ossibus meis, & caro de carne mea &c., *&* *Matth.* 18. referente „ jus Divinum positivum. = Quod Deus conjunxit Homo non separet = „ similiterque Paulo *prima Cor.* 7. inquiente = Præcipio non ego, sed „ Dominus Uxorem a Viro non discedere „ tamen quia Matrimonium vel in diversis personarum statibus esse potest, vel in quolibet illorum diversas habere periodos; Neque ex iis appareat, quando hujusmodi adipiscatur indissolubilitatem, vel in adepta ita permaneat, quin aliqua sit potestas in datis statibus, & circumstantiis eam tollendi; vel tandem in quibus circumstantiis a nulla potestate tolli potest, sic nihilominus, vel ad tempus, vel perpetuo dissociabilis individua vitæ consuetudo ex prænunciato indissolubili vinculo Matrimoniali genita; propterea breviſſime de quolibet horum statuum, atque ejusdem status periodis dicemus. Quasque ob causas permanente eodem Matrimoniali vinculo dissolvi possit individua vitæ conjugum consuetudo, vel ad tempus, vel in perpetuum, pro rei complemento investigabimus.

§. I.

Legitimi, ac Rati Matrimonii vinculum dissolvi nequit, nisi a potestate dominante naturam, aut divinum Jus constituente.

1. SI itaque Matrimonium spectetur, ut in officium naturæ institutum; quem statum nunc habet inter solos non Baptizatos, seu Infideles, ex eodem naturali jure nexum perpetuum atque indissolubilem habet; non quidem antequam sit consummatum, nam tunc res adhuc integra est, cumque nullus juris traditi in corpora conjugum usus sit secutus; & quousque res integra est, neque quidquam exterius obstet, contractus seu pactiones de ea dissolvi possint, vel partium communi dissensu, vel Principis voluntate, cui subsunt quicunque humani contractus, & contrahentium voluntates; indissolubile propterea Matrimonium, quod nondum est consummatum, evadere non potest.

2. Consumatum porro cum fuerit Matrimonium, ita fit indissolubile, ut a nulla potestate, quæ naturæ ipsi non præsit, ac dominetur, dissolvi possit; hinc, quia contrahentes non dominantur naturæ, neque quisquam sæculi Pri-

Princeps inde poterunt illud dissolvere; Speciei enim humanæ jus factum est per Matrimonii consummationem, ut duo illa individua, quæ per legitimum Matrimonium propagationi ejusdem naturæ operam dederunt, ne ab invicem ita dissocientur, ut possint aliis adhærere eodem propagationis fine; ex quo naturæ obstet, tum simultanea poligamia, magisque virigamia simultanea, tum quia licet, pluralitas Uxorum generationi, quæ est primarius naturæ finis, non opponatur, adversatur tamen secundario, nempe educationi prolis, & reliquis Matrimonii Juribus; quapropter sequeretur non absimilis in eadem natura perturbatio, quæ sequitur, dum conceptus fœtus perturbatur, ne suum adipiscatur complementum, & ortum; nam ita se habet natura quoad sui propagationem ad vinctos Matrimonio consummato, sicut se habet conceptus Fœtus ad Matrem suam; sicuti autem nullo jure potest unquam Mater expellere fœtum ab utero suo; ita nequeunt juncti Matrimonio consummato illud Matrimoniale vinculum dissolvere; etenim Mater admittens libere in utero suo conceptionem fœtus, se ita donavit officio naturæ, ut fœtui jus strictum factum sit contra Matrem; ita, consummantes Matrimonium, se officio naturæ dedicant, ut ipsa natura possessionem nanciscatur supra eosdem ad hoc, ut permaneant semper vincti eodem nexu. Propterea non ipsi conjuges, non Princeps terrenus, qui supra naturam nulla gaudent potestate, sed sola ipsa natura, vel auctor ejus, nempe Deus, hunc nexum relaxare poterit.

3. Ex eo proinde noscitur, quare infideles venientes ad fidem de eorum Matrimoniali vinculo periclitentur; præsertim si ex conjugibus alter permaneat in infidelitate; sitque periculum perversionis conversi eodem servato vinculo; Nam supra naturam fides dominatur; propterea bona fidei præferri debent naturæ bonis, hæcque abjicienda, si opponantur bonis Fidei, unde Deus ipse, qui auctor naturæ est, & Dominus, leges eas ejusdem naturæ relaxat, quæ cum fidei bonis componi nequeunt, quemadmodum est hæc de nexu conjugatorum inter eos, quorum alter fidelis est, alter infidelis, fidelemque pervertens, vel pervertere nitens.

4. Et hæc de Matrimonio, ut inquiunt Theologi, mere legitimo, & in officium naturæ instituto; si autem a statu infidelitatis ad statum Religionis Christianæ traducatur, in ea servans legitimi contractus naturam, adipiscitur etiam Sacramenti rationem, quæ illud statim afficit, atque apprehendit, ac illud reperit in ratione contractus validum; Unde Matrimonium fidelium, licet nondum consummatum, verè est Sacramentum; quod cum similiter duas habeat periodos, sicut Matrimonium infidelium, seu pure legitimum, nempe non consummatum, & consummatum, habet quoque, sed præstantioribus causis, easdem affectiones, ut scilicet quando non est consummatum, dissolvi possit, quamvis sit Sacramentum

non quidem contrahentium arbitrio, aut Laici Principis auctoritate, a qua per elevationem ad Sacramentum sublatum est, sed a Christo Domino, ejusque in Terris Vicario; quod enim in infidelitate datum erat contrahentibus, ac Principi, nunc soli Deo Christo Sacramentorum institutori servatur: cum ipse solus Sacramentis, quæ instituit, dominetur; quapropter, quia sunt in Ecclesia, quam sanguine suo edificavit, meliora, ac perfectiora status Matrimonialis, *ut Can.* 10. *sess.* 24. *Trid.* „ Si
„ quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis,
„ vel Cœlibatus, & non esse melius, ac beatius manere in Virginitate,
„ aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio anathema sit: „ quoties Matrimonium nondum est consummatum, seu res integra est, concessit Deus Nuptis, si ipsis vi eatur, ad meliora vota transire; hinc semper in eadem Ecclesia velut divina traditione servatum, quod Matrimonium rathum per subsequentem professionem Religiosam, etiam quoad vinculum dissolvatur: tantis monumentis hæc veritas patet, ut grave foret, ea hic recensere. Hoc uno *Can.* 6. *Tridentini sess.* 24. omnia complente:
„ Si quis, inquit, dixerit Matrimonium ratum, non consummatum per so-
„ lemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathe-
„ ma sit. „

5. Concessit similiter suo in Terris Vicario Romano Pontifici, si justæ adsint causæ, potestatem vinculum ejusdem rati Matrimonii dissolvendi; quod præter sanctissimorum Pontificum exempla, definitum habetur in *Hispalen. dispensationis* 28. Februarii 1739. in qua aliæ referuntur *Tom.* 9. *part. prima Ref. Sac. Cong. Trid. fol.* 16. his verbis: *Matrimonium rathum Apostolica dispensatione ex causis dissolvitur*. In nullo proinde deferendum est nonnullis Theologis, præsertim Tournely *de Sacramento Matrimonii fol.* 16. docentibus Romanum Pontificem non posse, etiam ex justa causa dispensare a vinculo Matrimonii rathi.

6. Et profecto cum per elevationem ad Sacramentum non consequatur Matrimonium rathum, nisi significationem unionis Christi Domini cum Anima Fideli, quæ unio per subsequentia peccata dissolvi potest; non habet propterea qua Sacramentum, ut sit indissolubile; quemadmodum non habet a natura qua legitimum, ne possit dissolvi; Hinc justis postulantibus causis divinæ Providentiæ consilium fuit, ut haberet potestatem Romanus Pontifex, dispensandi a vinculo Matrimonii rathi, ne jugum suave divinæ Legis, ac onus leve, fieret gravius ac onerosius, cæteris paribus, ac sint Leges humanæ.

7. Quando autem est consummatum, quia tunc in ratione Sacramenti consequitur significationem unionis Christi Domini cum Ecclesia ejus Sponsa, quæ unio indissolubilis est, eodem inquiente Christo Domino ad Ecclesiam = Desponsabo te mihi in sempiternum = indissolubile prorsus & ipsum est quoad ejus vinculum; & quamvis potuisset Christus Do-

Dominus tribuere potestatem summo Pontifici relaxandi etiam Matrimoniorum consummatorum vincula, tamen fide constat, non contulisse; etenim, potior causa si esset, vinculum illud dissolvendi, esset adulterium alterutrius ex conjugibus, quæ causa tamen non sufficit, eodem Tridentino *citata sess.* 24. *Can.* 7. inquiente: „ Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi: & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere: mechárique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit. „

8. Itaque si Ecclesia non erret, docens adulterii causa ex divina dispensatione, quam Deus non fecit, non posse dissolvi vinculum Matrimonii consummati, apparet quoque nullam aliam ob causam dedisse Deum Ecclesiæ suæ potestatem solvendi quoad vinculum Matrimonia consummata. Neque id congruum videretur, nam in hujusmodi Matrimoniis relaxato illorum vinculo non amplius vigeret significatio unionis perpetuæ Christi cum Ecclesia, vel, quæ arctior esset, unionis Verbi Divini cum natura humana assumpta; per quas solas significationes ab Apostolo Matrimonium dicitur magnum Sacramentum, & sequereruṙ violatio juris facti eidem naturæ per consummationem Matrimonii; cui licet possit derogare Deus, nisi tamen id expressum habeatur, nonnisi temere præsumeretur, quemadmodum est de juribus cuiquam tertio aquisitis.

§. II.

Matrimonium occulte nullum a putatis conjugibus sine Ecclesiæ auctoritate dissolvi non debet; & quid si dubitaverint conjuges de eorum Matrimonii valore?

1. Verum equidem est, posse contingere, quod videatur dissolvi quandoque vinculum Matrimonii consummati, estque, cum illud fuerit occulte nullum ob latens impedimentum, tamen publice reputatum validum; tunc enim patefacta ejus nullitate, dissolvitur, vel rectius ab Ecclesia nullum declaratur illud Matrimonium. Dixi ab Ecclesia; nam ea est, cui innotescere debet nullitas Matrimonii, ut putatis conjugibus liceat ab invicem divertere; *Can.* 1. *secularis* 33. *quæst.* 2. & *Cap.* 3. *hoc tit.* 2. etenim, si id propria auctoritate fecissent, non manifestata Ecclesiæ ipsi nullitate eorum Matrimonii, posset eadem Ecclesia, ac deberet eos compellere, & quatenus opus esset, etiam per Excommunicationem, ad invicem cohabitandum, sibique ipsis obsequia Matrimonialia præstanda. *C.* 13. *v. quod si: De restit. spoliat. C.* 5. *De eo, qui cognov. C.* 22. *de Testibus*. Ex eo, quod, validum haberet illorum Matrimonium, de cujus

jus nullitate nisi habeat plenam probationem, non dubitat, sed semper pro ejusdem valore judicabit; idque ob causam gravissimam, quæ est Matrimonii solutio, cavenda semper, ne hæc sequatur cum magna Sacramenti irreverentia, & ne via collusionibus aperiatur.

2. Cæterum si conjuges essent conscji, vel eorum alter de nullitate eorum Matrimonii, neque illam probare possent, vel posset apud Ecclesiam, in hoc urgentissimo eventu, deberent, ac deberet potius sententiam Excommunicationis subire, quam sibi ipsis invicem obsequia Matrimonialia præstare, vel conscius, nescienti exibere, & etiam cohabitationem vitare, si illis, aut illi eadem foret incontinentiæ periculum: *c. 44. de senten. Excom.*

3. Si autem alter tantummodo de valore sui præcedentis Matrimonii dubitaret, quoties fuerit superveniens dubium, *ex Cap. Inquisitioni de sententia Excomm:* docet Innocentius Tertius, quomodo se gerere debeat hic dubitans. „ In secundo, inquit, distinguimus, utrum habeat conscien-
„ tiam hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & di-
„ screta, & quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia levis, & te-
„ merariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exi-
„ gere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex
„ credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta,
„ debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alte-
„ rutro, vel contra legem Conjugii, vel contra judicium conscientiæ com-
„ mittat offensam. „

4. Si vero dubium antecesserit Matrimonii celebrationem, & fuerit prudens, nempe ob aliquod impedimentum dirimens, quod probabiliter præextitit celebrationi Matrimonii, plurimi arbitrantur, hujusmodi dubitantem comprehendi in adducta decretali; Propterea teneri reddere debitum, illud tamen non posse petere; Ego autem quid de eo sentiam, jamdiù aperui in quadam Dissertatione, quam hoc loco ponendam censui.



§. III.

§. III.

De eo, qui contraxit Matrimonium cum prudenti dubio de praecedente Impedimento dirimente, quo ad debiti redditionem, ac petitionem.

DISSERTATIO.

QUamvis nostris quoque temporibus praesto fuerint sapientissimi, atque eruditissimi Viri, qui res Theologicomorales summa diligentia, studioque evolverint, tamen, quia numero propemodum infinitae, eaeque tot, tantisque circumstantiis indutae sunt, ut nulla Doctorum, etsi longa fuerit aetas, laboribus, vigiliisque perpetuis ducta valuerit omnes attingere, quin earum nonnullae supersint adhuc, vel ex integro perlustrandae, vel saltem rationibus majorem in lucem evocandae, quarum profectò una est pertinens ad Matrimonium, haecque hujusmodi, ut quousque anceps dimittatur, Fideles peccandi discrimine sint obnoxii. Quod quantum caveri debeat, non est probus, qui satis ipse non percipiat. Nos inde pro imbecillitate Ingenii, ac Virium tenuitate illud amovere cupientes hanc propterea unam discutiendam suscipimus; & quidem non alia intentione, nisi, ut momenta hujus Quaestionis sapientibus humiliter subjiciendo ipsi definiant, quod rectius viderint amplectendum.

1. Est autem Quaestio, an, qui contraxit Matrimonium cum dubio de existentia Impedimenti dirimentis, possit petere, & reddere debitum, vel saltem teneatur reddere.

Ut facilior sternatur via solutioni, praemittimus primò, certum esse, non posse petere, aut reddere debitum contrahentes Matrimonium cum notitia certa de existentia Impedimenti dirimentis, vel notum sit Impedimentum utrique, vel uni tantum. Idque pariter certum, si alter ita ignoret, ut sit in bona Fide.

2. Praemittimus secundò, similiter certum esse, quod, si uterque contrahens de Impedimento dubitet, & contrahat, neuter potest petere, & reddere debitum.

Ad haec praemissa addimus sententias Doctorum.

Ad primum Sporer *de Peccatis conjugum num.* 470. *Theolog. Sacr.* (hunc unum citamus, quia omnium ore loquitur, estque ad manus prae caeteris) inquit: „ Quando uterque conjux novit certo Matrimonium esse
„ nullum, nimis clarum est, utrumque peccare mortaliter, & reddendo, & petendo debitum, quia jam evidens est, esse meram Fornicationem. „

Ad secundam partem dicti præmissi *num.* 471. „ Quando uni conju-
„ gum certo, & plane physicè constat Matrimonium esse nullum, quia
„ liquido novit adesse Impedimentum dirimens, quamvis altera pars bo-
„ na Fide indubitanter Matrimonium valere putat, & debitum urgeat,
„ nullo casu potest licitè reddere debitum, & potius omnia perferenda
„ sunt, quam debitum reddendum. „ Et *num.* 472. inquit: „ Sententia
„ hæc vera; etsi talis compulsus ad reddendum debitum non sit physicè,
„ sed tantum moraliter certus, Matrimonium esse nullum, ut prudenter
„ non possit dubitare oppositum esse probabile, & consequenter dubita-
„ re non poterit, quin redditio sit illicita. „

Ad secundum præmissum *num.* 474. „ Quando uterque contraxit è
„ principio cum dubio de valore Matrimonii (saltem absque præmissa di-
„ ligenti inquisitione veritatis), nimis clarum est, neutrum posse petere,
„ nec reddere. „

3. His præmissis certum videtur, eum qui processit cum dubio facti verè probabili de Impedimento dirimente ad celebrationem Matrimonii, inde non posse licitè petere, nec reddere debitum, etsi alter bona Fide cum eo contraxerit.

Ratio est, quia ex secunda parte primi præmissi, qui certò novit adesse Impedimentum dirimens, etsi ille solus sciverit, & contrahat Matrimonium, hic nec petere, nec reddere potest debitum; quia tunc foret manifesta Fornicatio; Ergo neque id poterit habens dubium superius dictum.

Antecedens constat, tum ex Innocentio Tertio *Cap. Inquisitioni de sententia Excommunicat.* ubi agitur de eo, qui post contractum Matrimonium venit in notitiam certam de Impedimento dirimente, quodque non potest coram Judice Ecclesiastico probare: inquit Innocentius Tertius: „ In-
„ quisitioni tuæ respondentes credimus distinguendum, utrum alter con-
„ jugum pro certo sciat Impedimentum conjugii, propter quod sine mor-
„ tali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud
„ apud Ecclesiam probare non possit: an non sciat pro certo, sed cre-
„ dat. In primo casu debet potius Excommunicationis sententiam humi-
„ liter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.

Tum etiam ratione Canonica; Matrimonia enim contracta cum Impedimento dirimente, vel illud sit notum utrique contrahenti, vel uni tantum, vel etiam nulli, Matrimonia illa nulla sunt, ut Jure Canonico constat; Itaque statim hac uni ex contrahentibus innotescat Impedimentum dirimens præextitisse celebrationi Matrimonii, ei quoque innotescit nullum fuisse illud Matrimonium; proinde etiam non posse petere, ac reddere absque peccato Fornicationis.

Consequentia probatur. Nam contrahens cum dubio fit possessor malæ Fidei, quia mala, & dubia Fides æquiparantur, quoad effectum nanci-

scen-

scendæ Possessionis; *Mala fide contractum iniri, possessionemque incohari ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemve capiendi jus habeat:* inquit Layman *lib. 1. Tract. 1. Cap. 5. §. 3. De conscientia dubia num. 23.* Ergo sicuti contrahens cum mala Fide, idest cum notitia certa de præexistentia Impedimenti dirimentis nunquam potest petere, & reddere debitum; ita, & contrahens cum dubia Fide.

Antecedens patet. Contrahens inquam cum dubio, quod non sit Juris, quia ideo illud habetur, quatenus lex non est sufficienter promulgata; propterea ipsa tunc caret virtute obligandi, sicque dubium illud non attenditur.

Dubium quod non sit speculativum, quia ad praxim nihil pertinet; possunt enim plura practice esse certa, quæ sint speculativè dubia: Dubium quod vere probabile sit, idest positivis ex utraque parte nixum fundamentis; Nam aliter esset mera nescientia, quæ bonæ Fidei respondet Contrahens inquam cum hujusmodi Dubio, caret uno ex necessariis titulis pro adipiscenda Possessione, qualis est: ut sibi suasus sit, rem, de qua contrahit, esse suam, vel de ea ita posse disponere, prout disponit; Qui autem hoc Titulo caret, & rem apprehendit, fit rei illius Possessor malæ Fidei, ut ex Jure Civili *leg. 23. §. 1. D. de aquir. Rer. Dom. & Inst. H. T. bona Fide*, quod & ipsum Jus Canonicum amplectitur, ac naturali æquitate roboratur; Ergo qui cum hujusmodi Dubio contrahit, fit Possessor malæ Fidei.

Consequentia dicti enthymematis probatur. Qui contrahit Matrimonium sub hujusmodi Dubio de Impedimento dirimente non est sibi suasus, valide posse disponere de semetipso in ordine ad illud Matrimonium, alias nullum dubium haberet; Ergo caret uno ex Titulis necessariis pro adipiscenda Possessione; Ergo contrahendo fit Possessor malæ Fidei; sicuti autem Possessor malæ Fidei non potest licitè petere, nec reddere debitum, ità contrahens cum hujusmodi dubio, non poterit licitè petere, nec reddere debitum.

Confirmatur ex secundo præmisso, quinimmò ex Doctrina omnium Theologorum relata a Sporer *num.* 474. Etenim, si certum sit, quod uterque contrahens, si è principio dubitaverit de valore Matrimonii, neuter possit petere, nec reddere, certum pariter esse debet, quod licet unus tantum contraxerit cum dubio de valore Matrimonii, hic non possit petere, nec reddere debitum.

Hoc demonstratur. Nam ideò certum, quod, si uterque contraxit è principio cum dubio de valore Matrimonii, neuter possit petere, & reddere, quia uterque contraxit cum dubia Fide, hæcque malæ Fidei æquiparatur, ut diximus; Nulla etenim alia Ratio præter hanc est, vel assignari potest hujus assertionis; sed hæc eadem Ratio procedit de uno tantum, qui contraxit è principio cum dubio de valore Matrimonii, ut

ſuprà oſtenſum eſt; Ergo ſi certum ſit, quod, ſi uterque contraxerit è principio cum dubio de valore Matrimonii, neuter poteſt petere, nec reddere; pari æquidem modo certum erit, eum, qui licet ſolus contraxerit è principio cum dubio de valore Matrimonii, non poſſe petere, nec reddere debitum.

4. At dicent, procedit quidem, ſed non adæquatè; proinde hic non poterit petere, ſed reddere tenebitur; quia in hypotheſi unius contrahentis cum præfato dubio, ſupereſt alius contrahens habens certam poſſeſſionem, quia bona Fide contraxit, factuſque poſſeſſor bonæ Fidei, a qua certa poſſeſſione per dubium alterius non eſt detrudendus; Ergo habens dubium, ne contra conſcientiam agat, non poteſt petere debitum; tenebitur tamen poſſeſſori bonæ Fidei, ideſt non dubitanti de valore ſui Matrimonii a principio reddere debitum, ne illum privet conſecutione ejus, ad quod habendum Jus certum poſſidet.

Verum oſtenditur, quod adæquatè procedit, & ſimul probatur minor. Nam, ſi uterque cum dubio contraxerit, ideo neuter alteri debitum reddere poteſt, quia unus non eſt certus, alteri Jus quæſitum eſſe de exigendo debito, nec alter de primo; propterea ex his nullus cogi poteſt ad certò ſolvendum, quod ſolum probabiliter debet; nec poteſt ſolvere, cum verſemur in materia, cujus non eſt Dominus, uti eſt uſus corporis; qui ſolum concedi poteſt modis certis, nempe unicè propter Jus, ac debitum producta a præcedenti valido Matrimonio inito; etenim ſi unus certus eſſet, alteri, licet dubitanti, quæſitum eſſe hujuſmodi Jus (in hypotheſi, quod certo Jus quæri poſſet etiam illi) adhuc eidem teneretur reddere debitum, ne creditum certum eluderet probabili non ſolutione; ſed hoc idem verificatur, etſi unus tantum contrahentium cum dubio proceſſerit ad celebrandum Matrimonium; Ergo adæquatè procedit etiam pro eo uno, qui contraxit è principio cum dubio de valore Matrimonii.

Major eſt certa; Nam ſi alia Ratio eſſet, ob quam unus alteri contrahentium cum dubio reddere non poſſet debitum, & conſequenter non teneretur præter incertitudinem Juris quæſiti in exigente, quam uterque deprehendit ob dubium, quod præceſſit celebrationi Matrimonii, jam hæc, vel a Jure poſitivo, vel a natura contractus Matrimonialis deſcenderet; ſed nulla Ratio alia a Jure poſitivo, nulla a natura contractus Matrimonialis habetur; Ergo non eſt alia Ratio, ob quam unus alteri reddere non poſſit, aut debeat debitum. Non, inquam eſt ulla ratio a Jure poſitivo, quia Jus poſitivum nulli tribuit poteſtatem utendi corpore alterius extra legem Matrimonialem, ut liquet, ſive divinum ſit, ſive humanum; nam de humano conſtat, non poſſe, de divino conſtat, non feciſſe. Non a natura contractus Matrimonialis, quia natura cujuslibet contractus eſt, non tribuere ulli Jus quodpiam, quod ab altero contrahen-

hente non sit oblatum, & quidem eo modo, quo oblatum est. Hoc quoque est evidens, & Jure naturali, & positivo; sed contrahentes Matrimonium cum dubio de existentia Impedimenti dirimentis non offerunt sibi ipsis invicem, nec offerre possunt Jus supra eorum respectiva corpora, nisi dubium, non verò certum; cum unus non possit alteri ultrà offerre, quam id, quod suasus sit ipse habere, & quilibet eorum suasus sit se non certò, sed dubiè tantum habere Jus disponendi de corpore suo in ordine ad tale Matrimonium; Ergo ambo dubitantes non possunt sibi invicem ipsis offerre, nisi Jus dubium circa usum suorum corporum: si autem hoc sit, eorum neuter certus esse potest, alteri Jus, vel sibi, certò esse quæsitum de exigendo debito, nec de suborta obligatione certa reddendi; Ergo non alia ratio, neque ex naturâ contractus Matrimonialis est, ob quam contrahentes sub dubio, non possint, nec debeant sibi ipsis invicem petere, ac reddere debitum, nisi hæc, nempe quia unus non est certus alteri Jus quæsitum esse de exigendo debito, nec alter de primo.

Minor præcedentis syllogismi probatur solutione sequentis objectionis. Sed contra. Possessio bonæ Fidei, ex qua Jus certum oritur, non ipsa pendet ab eo, qui dat titulum ejusdem incipiendæ, sed ab eo, qui recipit, ita ut sufficiet bona opinio in recipiente, quod res sibi data fuerit dantis, quamvis dans ipse dubitaverit, vel etiam sciverit occultè, rem datam alteri non fuisse suam; sed qui contrahit bona Fide Matrimonium cum eo, qui dubium habet de valore prædicti Matrimonii, jam habet bonam opinionem, quod Jus sibi oblatum ab alio contrahente sit certum, non dubium, atque omninò sit in libera potestate dantis, detque iis modis, quibus potest, & licet; Ergo contrahens bona Fide cum hujusmodi dubitante habet quidquid requiritur pro incipienda, ac conservanda possessione bonæ Fidei juris oblati in contractu Matrimoniali; Ergo non verificatur idem de uno dubitante, quod de utroque; Ergo allata ratio non procedit adæquatè pro uno, sicut dum ambo a principio dubitant. Sed respondetur, atque ostenditur idem verificari, & adæquate procedere etiam pro uno dubitante tantum.

Major itaque syllogismi distinguitur scilicet: Possessio bonæ Fidei, ex qua Jus certum oritur, ipsa non pendet &c. in aliis contractibus, vel modis admissis a Jure, vel Gentium, vel Civili nanciscendæ Possessionis ope bonæ Fidei, omitto maj: In contractu Matrimoniali, nego majorem. Deinde concedo minorem; tandem nego, & primam, & secundam consequentiam. Dico autem in contractu Matrimoniali non sufficere bonam opinionem recipientis Jus oblatum ab altero dubitante, ut ipse recipiens fiat certus possessor illius Juris, licet bona Fide recipiat; Nam ideo in aliis contractibus, seu modis &c. sufficit bona opinio prædicta ad consequendam Possessionem certam, quia, ut inquit, Lacroix *Lib. 6. Part.* 3. *&c.*

3. de Matrimonio num. 302.; & cum eo omnes, = *Legum præsidio juvatur habens bonam Fidem, ita ut Leges ipsæ in bonum commune pro ea circumstantia transferant certum Jus super illa re in eum, qui bona Fide rem eandem accepit*; At nullæ sunt Leges, quæ transferant certam possessionem Juris Matrimonialis in acceptante bona Fide, si dubiè oblatum fuerit ab altero contrahente, ut nimis de se patet; etenim Jus hoc ex iis non est, quæ potestati humanæ subjaceant; Ergo nullæ sunt, & esse possunt Leges transferentes prædictum Jus &c. Et revera si essent, procul dubio favere deberent contrahenti bona Fide cum eo etiam, qui certo scit adesse Impedimentum dirimens, ut in reliquis contractibus, ac modis &c. faciunt; Verum huic non favent, quinimmò certum est ex primo præmisso, contrahentem bona Fide cum eo, qui certò novit adesse Impedimentum, sibi ex sua bona Fide Jus nullum acquirere exigendi debitum, neque eum, qui habuit notitiam Impedimenti posse reddere, aut contraxisse debitum reddendi; si itaque nullæ Leges sint transferentes hujusmodi Jus, & tota ratio Possessionis exigendi debiti in accipiente derivare debeat ab ipso dante, & dans non certò, sed dubie dederit, jam possessio exigendi in accipiente non erit certa, sed dubia; ad quam certam faciendam non sufficiet bona opinio recipientis, ut supra vidimus, ex defectu præsidii Legum, & utpote in illam non valens ipsa bona Fides quidquam influere; Itaque apparet rationem, ob quam uterque cum dubio contrahens non potest petere, nec reddere, eandem procedere adæquate etiam pro uno tantum ab initio dubitante.

5. Verum dicent: Res nimium urget; etenim si vera essent dicta, sequeretur, quod ii, qui ambo contraxere bona Fide, superveniente dubio, non possent petere, nec reddere debitum; quod tamen fere ab omnibus reijcitur ut falsum; ii namque, superveniente dubio, non essent certi sibi ipsis mutuò Jus quæsitum esse circa usum corporum; hoc autem esset absurdum; Ergo hoc sequeretur. Verum ex iis hoc minime sequi liquet, cum lata sit disparitas inter contrahentem dubitantem, & habentem bonam Fidem, ambosque contrahentes bona Fide, quibus dubium superveniat. Nam contrahentes bona Fide sibi ipsis invicem obtulerunt Jus in corpora, quod uterque suasus erat certò se possidere, & posse de eo ita disponere in ordine ad illud Matrimonium; Ergo tunc sibi invicem subministrarunt quidquid requirebatur pro incipienda, ac stabilienda certa possessione bonæ Fidei de Jure sibi invicem ipsis oblato, atque acceptato; a qua postea Possessione certa, nimis clarum est, per dubium subsequens detrudi non posse; at contrahens dubia Fide cum habente bonam Fidem, quia suasus esse non potest, se tunc possidere Jus, quod alteri bona Fide acceptanti offert, vel de eo ita disponere posse, ut disponit; hinc fit, ut nec sibi ullam certam Possessionem faciat Juris ab altero oblati (de quo Possessionem non consequeretur, nisi ad mensuram, qua alte-

alteri offert Jus suum) cui profecto non offert, nisi dubium; ita non mirum, si certa Possessio non producatur, neque ex parte contrahentis cum dubio, neque ex parte contrahentis bona Fide; proinde contrahentes bona Fide ambo, etiam post dubium superveniens supersunt certi de Jure quæsito exigendi debitum, non autem qui contraxit cum dubio superest certus de Jure quæsito, vel alteri bonæ Fidei secum contrahenti, vel sibi contra eundem; propterea apparet eos, qui contraxerunt bona Fide, post dubium superveniens posse invicem reddere, & petere debitum, vel secundum aliquos toto tempore perseverantis dubii cum onere quidem requirendi veritatem, vel secundum alios æquiores solummodo post adhibitas diligentias debitas pro deponendo dubio, eoque nihilominus perdurante.

Confirmatur ulterius; Etenim debitum reddendi essentialiter supponit Jus petendi in eo, cui debitum est reddendum; sed Jus petendi in eo, cui debitum est reddendum, esse non potest, nisi proveniat ex præcedenti celebratione Matrimonii secuta inter eum, & habentem debitum reddendi; Ergo pariter, & debitum reddendi in eo esse non potest, nisi proveniat ex præcedenti celebratione Matrimonii secuta inter ipsum habentem debitum, & illum habentem Jus petendi.

Subsumo: sed si debitum reddendi in eo esse non possit, nisi proveniat ex præcedenti celebratione Matrimonii secuta inter debitorem, & habentem Jus petendi, jam debitum ipsum essentialiter supponit fuisse in debitore etiam Jus petendi; Ergo si debitum reddendi essentialiter supponat in altero Jus petendi, supponit quoque essentialiter in eodem debitore fuisse ac præcepisse Jus petendi.

Minor subsumpta probatur.

Debitum reddendi ex Matrimonio proveniens non aliam habet causam, quam traditionem Juris in corpus proprium factam a debitore alteri eandem acceptanti, ob quam petendi Jus consequitur, seu adipiscitur acceptans ipse; sed hæc sola Juris traditio, etsi acceptata, non sufficit ad stabiliendum Jus petendi in acceptante, nisi etiam sequatur similis traditio Juris ex parte acceptantis prædicto debitori, sine quibus mutuis, atque reciprocis traditionibus, atque acceptationibus nedum non subsistere, sed nec concipi potest Matrimonium: Ergo si debitum reddendi in eo esse non possit, nisi proveniat ex præcedenti celebratione Matrimonii secuta inter debitorem, & habentem Jus petendi, jam debitum ipsum essentialiter supponit fuisse in debitore etiam Jus petendi.

Quapropter si debitum reddendi in nullo esse, aut concipi possit, in quo non præcesserit acquisitio Juris petendi, & quidem ea certitudine, ac firmitate, qua in eo est debitum reddendi, jam manifeste evincitur, eum, qui cum dubio contraxit Matrimonium, vel non posse petere, nec reddere Innocenti, quia illi Jus certum non tradidit, neque ab eo illud

illud accepit; vel posse petere, & reddere, quia Jus certum petendi ex Matrimonio acquisivit; Quod hoc secundum negant omnes.

6. Tandem absurda non modica spectantur, si qui contraxit cum dubio, non possit petere, sed teneatur reddere debitum illi, qui secum contraxit bona Fide; Quæ, ut facilius deprehendantur, duæ præmittuntur Hypotheses alterutram quarum amplecti debent patroni dictæ opinionis.

Quarum prima est: Matrimonium contractum cum dubio ex parte unius tantum contrahentium esse certò validum, Jusque certum petendi utrique facere.

Altera est, Matrimonium contractum cum dubio ex parte unius tantum, etsi non certo validum, certò tamen Jus tribuere petendi illi, qui bona Fide contraxit; dubitanti vero neutiquam, sed purum debitum reddendi imponere.

Præter has non aliam fingere possunt hypothesim, quoties Jus petendi a præcedenti Matrimonio descendere oporteat; quod ità oportet, ut aliunde illud repetere, esset a fide divina proscriptum.

7. Si inquam primam amplectantur, duo sequuntur absurda. Primum est, effectum superare causam suam (causa enim Matrimonii est mutua contrahentium traditio, & acceptatio Juris in corpora) cum ex parte dubitantis sit traditio dubia Juris in corpus, hæc operari deberet certum effectum, nempe certo validum Matrimonium, quod rectæ Rationi, ac Metaphysicis principiis opponitur. Secundum est, data, sed non concessa certa validitate Matrimonii, ex qua Jus certum petendi acquiratur a bonæ Fidei contrahente, impossibile prorsus apparet, quod idem Jus non acquiratur a contrahente etiam cum dubio; cum illud non aliunde procedat, quam ex validitate Matrimonii, quæ nonnisi inter duos æqualia Jura, ac onera participantes consistere valeat: ut æque patet tum Ratione, tum Fide; *Prima Corinth. Cap. 7. v. 5. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir. Similiter autem & Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier*. Si autem contrahens cum dubio sibi acquirere debeat certum Jus petendi ob assertam Matrimonii validitatem, qua ratione dicere valent, quod hic teneatur quidem reddere, at petere nequeat? Ergo si velint Matrimonium cum dubio unius contractum, fuisse certò validum, absurdum postea admittunt ob hanc rationem, si dubitantem obligent ad reddendum debitum, illique postea negent Jus petendi.

Si secundam, præter exposita pro prima, duo alia sequuntur absurda.

Primum est, Jus certum petendi datum contrahenti bona Fide non a Matrimonio, sed a sola bona Fide provenire: quod si esset, nedum contrahens cum dubio teneretur reddere, sed etiam contrahens cum certa scientia de Impedimento dirimente, quia eadem pro utroque contrahente esset Ratio, quod est prorsus erroneum, ut supra vidimus; tum quia bona

bona Fides in hac materia non dat certam possessionem, nisi sit mutua contrahentium, & quidem circa valorem Matrimonii; tum quia est proscriptum ab Innocentio Tertio supra relato.

Secundum est, supposita obligatione reddendi, sequitur, quod dum reddit debitum ille, qui contraxit cum dubio, quia nedum patitur, quod alter exerceat Jus suum, ac pure permittit, sed verè active se habet, & quasi virtualiter petens; Nam debitum Matrimoniale importat copulam conjugalem, quæ fieri non potest sine utriusque actione: alias non esset opus conjugii; sequitur inquam, quod sub dubio reddens, activè ac formaliter concurrat ad copulam probabiliter fornicariam, quod semper intrinsecè malum est.

Et en aliud absurdum.

Ex dictis itaque constat, si sola Ratio spectetur, contrahentem cum prædicto dubio non posse petere, nec reddere; etsi contenderet quis, eum debere reddere, contra ex ipsis evinci liceret, quod etiam posset petere, quod quidem non admittitur ab ullo.

8. Verum Auctores tum Morales tum Canonistæ quasi omnes, excepto Pignatello Canonista *Tom.* 4. *Consult.* 189. *n.* 4., unoque, vel altero ex Moralistis nempe Soto *in* 4. *senten. Quæst.* 1. *Art.* 3. *&* *Lib.* 4. *de Justit. Quæst.* 5. *Art.* 4. relato ab Azorio *Institut. Moral. Lib.* 2. *Cap.* 18. §. *septimo quæritur Fol.* 95. *Colum.* 1. Quem Sotum Azorius rejicit. Usque modo docuerunt, ac docent, contrahentem cum prædicto dubio non posse petere, teneri tamen reddere debitum. Quod assertum volunt definitum a duabus Decretalibus summorum Pontificum insertis in volumine Decretalium Gregorii IX. Rationem verò non aliam afferunt, nisi quam supra refellimus, idest Possessoris bonæ Fidei per ipsos faventem parti Innocenti, scilicet sine ullo prorsus dubio contrahenti.

An autem prædictæ Decretales id definierint, non satis videtur, si dixerint hi Auctores, unusque alteri, quasi Testamento dicendum reliquerit, sed ipsæ Decretales scrutandæ sunt juxta & verborum obviam significationem, & temporum, ac Personarum circumstantias; exque ipsis animadvertendum, quidquam ne decernant de contrahente cum dubio facti de existentia Impedimenti dirimentis.

Prima, quam afferunt est *Cap. Dominus de secund. Nuptiis*, quam direxit Lucius Tertius universis Christianis in captivitate Saracenica positis.

Secunda est *Cap. Inquisitioni tuæ de sentent. Excom.* qua Innocentius Tertius Episcopo Ferrariensi respondit.

9. Si prima observetur, hæc illis ne in minimo favet; non enim respicit contrahentes cum dubio è principio de valore Matrimonii, ut oporteret, si eorum firmare deberet sententiam, sed disponit de superviventia priorum conjugum, quam tunc concurrentibus certis causis arbitrabantur non obstare, quin possent iis prioribus adhuc vivis nova cum aliis Matrimonia inire, quæ valida forent. Et

Et revera quod consulentes Lucium Tertium ita opinarentur, quinimmò apud ipsos communis esset sententia atque vulgaris, valere secunda connubia alterutro ex prioribus conjugibus supervivente, si debitis ex caussis priora dissoluta fuissent, tum præcedentia, tum subsequentia quorundam Pontificum Decreta ostendunt, tum quædam Nationalia Concilia, ac nonnullorum SS. Patrum dicta, tum denique Juris Civilis dispositiones, quæ tunc temporis non satis videbantur abrogatæ, vel saltem ita autumabant pleræque Nationes, per expressam Ecclesiasticæ Legis definitionem.

Decreta, quæ præcesserunt sunt primo Rescriptum Papæ Deusdedit Gordiano Hispalensi Archiepiscopo Anno 614. cir., per quod probasse videtur Constantini, Arcadii, Honorii Leges permittentes Matrimoniorum ex causa dissolutionem, ac novorum cum aliis celebrationem *Cap. Pervenit ad nos Diaconus vester*, in quo ait Pontifex: = *Mulieres cum separatæ fuerint pro hac illicita re* (nempe quia Viri earum suscepissent proprium Filium è Sacro Fonte) *a propriis Viris totam præcipimus recipere Dotem; Et post expletum Annum recipiant alium Virum, similiter & Vir Uxorem*. De quo Decreto Christianus Lupus *Tom. 11. Fol. 11. Colum. 2.*

De ejusdem olim facti specie ità responsum affirmat idem Pontifex a suis antecessoribus Julio Primo Anno 340. cir. Innocentio Primo Anno 408. cir. Celestino Primo Anno 428. cir. ut refert idem Lupus *Tom. 4. Fol. 192. & 193.*

Secundò Rescriptum Gregorii Secundi ad Sanctum Bonifacium Francorum Apostolorum Anno 720. cir. *Quod proposuistis*, inquit Pontifex, *quod si Mulier infirmitate correpta non valuerit Viro debitum reddere, quid ejus faciat Jugalis. Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, nubat magis. Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.*

Tertio Rescriptum Alexandri Tertii Abbati Sancti Albani Anno 1159. Cap. *Propositum*: de eo qui duxit in Matrimonium, quam poluit per Adulterium:

Propositum est nobis, ait Pontifex, *quod Vir quidam uxorem habens, sibi aliam hujusmodi rei insciam copulavit, sed prima mortua nititur discedere a secunda. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi Mulier divortium petat ad petitionem Viri non sunt aliquatenus separandi*, in hac Decretali leguntur verba: *discedere a secunda*, quæ significant, valuisse hujusmodi Matrimonium secundæ tempore eo, quo vivebat prima; sicuti verbum divortium importat præexistentiam validi Matrimonii, atque ex hac Decretali suspicio haberi posset, tunc temporis, vel pluralitatem Uxorum expresse ab Ecclesia non fuisse damnatam, quod patet oppositum, vel admitti, solutis primis, secunda connubia valere.

Quar-

Quarto ejusdem Alexandri Tertii, qui viginti duobus Annis Clavum Ecclesiæ tenuit, Archiepiscopo Salernitano *Cap. licet præter solitum* Anno cir. 1178. per quod Pontifex roganti Archiepiscopo = an ratum Matrimonium solvatur per subseqvens consummatum = respondit non solvi, & addidit: *Quamvis aliter a quibusdam Prædecessoribus Nostris sit aliquando judicatum.* Ex qua additione liquet responsa Pontificum non sibi ipsis semper fuisse constantia, sed varia circa Matrimonii indissolubilitatem.

Circa hæc tempora, nempe 118.. cir. consultus Lucius Tertius immediatus successor prædicti Alexandri a Fidelibus Saracenica Captivitate detentis de secundo Matrimonio contracto, non habita notitia mortis primi conjugis. Jis primo respondet in *Cap. Dominus* Legem universalem statuendo: *Id vobis*, inquit, *respondemus: ut nullus amodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* In hac Decretali secutus est Pontifex methodum Justinianæ novellæ §. *Sed etiam captivitatis casus*, eamque partim amplificans, partim abrogans, in qua Justinianus primò statuit: *Attamen humanius talia contemplantes donec quidem est manifestum, superesse, aut Virum, aut Uxorem, manere insoluta Matrimonia sinimus: & non veniant ad secundas Nuptias, neque Mulieres, neque Viri: nisi voluerint videri auju temerario hoc egisse, & pœnis succumbere*, quam amplificavit Lucius. Nam Justinianus in ea solum vetat secundas Nuptias iis, qui conscii sunt de vita primi Conjugis, Lucius verò nedum iis qui conscii sunt, sed etiam iis, qui certam de morte primi Conjugis non habent notitiam.

Qua legis dispositione voluit idem Pontifex evellere inoletam nimis consuetudinem tunc grassantem solvendi connubia per quemcunque recessum alterutrius conjugum; ex quo patet tunc temporis contrahentes secunda Matrimonia, vivo adhuc primo Conjuge, non dubitasse de illorum validitate.

Sed prosequitur Lucius: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum*; adnotetur quod non dicit de valore secundi Matrimonii, sed de morte prioris conjugis, quæ dubitatio ex eo tunc oriri poterat, nempe ex præcedenti statuta Lege: *Ut nullus amodo &c.* Propterea dubitatio omninò consequens secundas Nuptias, non autem eas afficiens: de quibus nulla tunc dubitatio, solumque vergens circa observationem Legis prædictæ editæ post celebrata secunda connubia, an inquam postularet ipsa, ut eæ secundæ Nuptiæ solverentur; ut pariter tunc temporis opinio erat, quod solvi possent, an potius servandæ, & quibus modis.

Præcipit propterea idem Pontifex = *Ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; Quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.*

Hac porrò secunda Decretalis parte ordinem prædictæ Novellæ non immutans ejusdem secundam partem prorsus abrogat: Erat enim hæc = *Si verò incer-*

incertum sit, utrum superest, an non, quæ ad hostes Persona devenit: tunc quinquennium expectandum est, sive a Viro, sive a Muliere, post quod (sive manifestum de morte fiat, sive incertum maneat) nubere licebit sine periculo. Etenim neque post quinquennium permittit Pontifex cum dubio de vita prioris conjugis transire ad secundas Nuptias, & qui jam transierunt ante conditam præsentem Legem, quousque dubii sunt, per ipsam privantur Jure petendi, relicto eis debito reddendi.

Quare autem privaverit dubitantes de vita prioris conjugis jure petendi, relicto eis debito reddendi, si consideretur, quod hi Fideles non dubitabant de valore prædictarum Nuptiarum, ad quas bona Fide processerant, fit manifestum, eos non aliam ob causam privasse, nisi quia solicitiores reddere cupiebat pro investiganda notitia vitæ, vel mortis prioris conjugis, ut tandem consequeretur effectum suum ultima hujus Decretalis dispositio, quæ erat. *Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.* Per hanc dissolvens secunda connubia, tunc habita valida, & restituens prima suo valori, statim ac certa notitia de vita prioris conjugis haberetur.

Et profecto si hæc non fuisset vera causa privandi eum Jure petendi, relicto debito reddendi, sed alia, nempe quia contraxit cum dubio de valore secundi Matrimonii ob incertam vitam proprii prioris conjugis; quare non privavit etiam alterum cum eo contrahentem, qui fortasse conscius, vel erat, vel esse poterat de dubio circa vitam conjugis illius, cum quo contrahebat? Nam communis tunc causa fuisset; At tamen non fecit; Ergo non aliam habuit causam, quam supradictam. Et revera consideratis verbis Legis apparet, quod Pontifex solum illum, vel illam privare voluit Jure petendi, quæ de proprii prioris Viri, vel Uxoris vita, *adhuc sibi existimaret dubitandum*, cum nihil decreverit de altero contrahente, vel hic dubitaret, vel non, de vita conjugis Personæ illius, cum qua contraxerat Matrimonium, sed eidem simpliciter, atque absolutè reservavit Jus petendi: Ex quo lucet, non privasse Jure petendi, quia contraxisset cum dubio de valore Matrimonii: ut unice oporteret ad hoc, ut prædicta Decretalis definivisset sententiam Adversariorum.

10. Verum neque dicta Decretalis obtinuit, ut Christianus Orbis ad unitatem hujus Articuli de indissolubilitate Matrimonii, ac nullitate ejusdem, si primo vivente conjuge contrahatur, qui nunc est Fidei, revocaretur. Nam statim Urbanus Tertius immediatus successor Lucii visus est opinionem dissolubilitatis, ac validitatis secundarum Nuptiarum initarum, vivente primo conjuge, restituisse probabilitati, qua ante Lucium fruebatur *per Cap. Cum in Appostolica de Sponsalib., & Matrim.*

Inquit enim Urbanus eo *Cap. Intelleximus, quod cum inter Vilicum de N., & Uxorem ejus Matrimonii Quæstio tractaretur: ante publicationem Testium Vili-*

Villicus reversus ad propria publice inter se, & Uxorem suam proposuit sententiam Divortii Judicio Ecclesiæ promulgatam, & sic falsitate sugesta, quandam aliam facti nesciam sibi copulare præsumpsit. Postmodum verò super prioris Matrimonii Quæstione litteris impetratis delegati Judices sententiam Divortii protulerunt. Verum quia Villicum, & Mulierem, quam superinduxit, pendente Lite prioris Uxoris, invicem asseris consensisse: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod, imposita Viro Pœnitentia competenti, & infra Pœnitentiæ tempus carnali commercio interdicto, postmodum in maritali copula poterunt remanere.

Ex hac Decretali habetur, primum Matrimonium, de quo quæstio erat, fuisse validum; Nam lata fuit de eo sententia Divortii, non verò nullitatis, quæ hujusmodi non fuisset, nisi ut validum haberetur præcedens Matrimonium, solvendum tamen etiam quoad vinculum ob causas tunc receptas pro dissolvendis connubiis. Habetur etiam quod secundum Matrimonium contractum cum facti nescia, & vivente prima Uxore habitum fuit ut validum, quia post sententiam Divortii non fuerunt obligati ad noviter contrahendum, sed imposita Viro Pœnitentia, permissum fuit, eosdem permanere in Maritali copula: quod verbum *remanere* importat subsistentiam Matrimonii contracti tempore superviventis primæ Uxoris; & hæc evenerunt anno 1186. cir.

Quem Urbanum secutus est Celestinus Tertius immediatus ejus successor Anno 1192. cir., qui decrevit Christianam Uxorem, cujus odio Vir Christum negavit, sibique copulavit Paganam, ipso superstite, alteri nubere posse Catholico; Atque hujusmodi, & simili Apostasia Matrimonium dirimi sensit, ut refert Natalis ab Alexandro *Historiæ Ecclesiasticæ saeculi 11., & 12. Tom. 7. Fol. 60. Edit. Lucen.* Decretum hoc legitur *in Cap. Laudabilem, de Conversione Infidelium Lib. 3. antiquæ Collectionis 11. Decretalium ab Antonio Augustino editæ pag. 195.*

Tandem Innocentius Tertius Anno 1200. cir. causam scrutans summo libramine, ut potuit, emendavit Decreta prædecessorum, & præsertim Celestini immediati Antecessoris, ut *ex Cap. Quanto, de Divortiis*, parsque illa Capitis *Laudabilem*, Collectioni Jussu Gregorii IX. a Sancto Raymundo adornatæ non est inserta.

Verum nonnisi a Concilio Tridentino Lis dirempta, ac in Dogma Fidei promulgatum, quod Matrimonium consummatum sit indissolubile quoad vinculum: *Can. 5. sess. 24. Si quis*, inquiunt Patres Concilii, *dixerit propter Hæresim, aut propter molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a Conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum anathema sit.*

Ex relatis itaque Decretis vel antecedentibus Decreto Lucii Tertii *Cap. Dominus*, vel subsequentibus apparet, quod tempore dicti Lucii non constabat Fidelibus Matrimonia secunda inita, vivente priore conjuge, esse nulla; quinimmò ex datis causis valida reputabantur.

Hoc idem ex Nationalibus Conciliis eruitur. Primum est Vermeriense Concilium Anno 770. coactum a Bonifacio Francorum Apostolo. Cujus *Cap.* 5. hæc habet: *Si quis, necessitate inevitabili cogente, & in alium Ducatum, seu Provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui Fidem mentiri non poterat, secutus fuerit, & uxor ejus, cum valet, & potest, amore Tarentum, aut rerum suarum sequi eum noluerit, ipsa omni tempore, quandiù Vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta remaneat. Nam ille Vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si se abstinere non potest, aliam Uxorem cum Pœnitentia potest accipere.* Plures ibi de hac re sunt ejusmodi Canones, ut testatur Lupus *Tom.* 4. *Fol.* 192. *Colum.* 2.

Secundum est Compendiense sub Pipino Rege Anno 800. cir. Quod confirmavit statuta in Vermeriensi; atque inter alia concessit, quod: *Si Vir leprosus Mulierem habeat sanam, si vult ei donare comeatum, ut accipiat Virum, ipsa Fœmina, si vult, accipiat, similiter & Vir.*

Tertium est, Triburiense sub Formoso Pontifice Anno 894. cir., in quo definitur: *Si quis cum noverca &c.* 32. *Quæst.* 7. *Cap.* 24. Quo ab omni superveniente Impedimento dirimente Matrimonium solvi videtur. *Christian. Lup. supracitatus Fol.* 193. *Colum.* 1. §. *Abusus.*

Demum ex nutantia SS. Patrum fere usque ad tempora Lucii Tertii circa vinculum Matrimoniale colligitur, licuisse Fidelibus eo tempore alterutram amplecti partem, vel saltem de mala, aut dubia Fide culpari non posse, si causis extantibus primum Matrimonium solvissent, & secundum, vivente primo Conjuge, inivissent. S. Epiphanius, inquit, *Lib.* 59. *Cap.* 4. *Cui una Uxor non sufficit, cum occasione aliqua Stupri, Adulterii, aut alterius Flagitii cum ea Divortium fecerit, is, si alteram Uxorem duxerit, aut alteri Viro Mulier nupserit, sacrarum Litterarum Auctoritas ab omni culpa illos absolvit, neque ab Ecclesia, aut æterna Vita rejicit, sed propter imbecillitatem tollerandos existimat.*

Ambrosiaster *in prima ad Chorint:* inquit: *Viro licet Uxorem ducere, si dimiserit Uxorem peccantem.*

S. Augustinus postquam in Libris de adulterinis Conjugiis docuerat, non posse nova connubia inire eum, qui Uxorem dimisit propter Adulterium, in Libro *de Fide, & Operibus Cap.* 19., inquit: *Quisquis Uxorem in Adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa Adulterii dimittunt, & ducunt: & in ipsis divinis Sententiis ita obscurum est, utrum iste, cui quidem sine dubio Adulteram licet dimittere, Adulter tamen habeatur si aliam duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

S. Timotheus Patriarcha Alexandrinus interrogatus: *Si alicujus Uxor spiritu corripitur, ut ferreos etiam compedes, & manicas gestet, Vir autem dicat, non possum continere, & vellet aliam accipere, debeat ne aliam accipere, an non?* Et respondit: *Non invenio quid de ea respondeam.*

S. Ful-

S. Fulbertus Episcopus Carnutensis indulgebat secundas Nuptias remanenti in sæculo; ac de isto suo more scripsit ad Robertum Archiepiscopum Rothomagensem: *Si hac de causa,* inquit, *Meum consilium vultis, quid ego facio, idem vos facere suadeo &c.*

S. quoque Anselmus depravatum Hiberniæ morem deplorans scripsit ad Muriardachum ejusdem Hiberniæ Regem: *Dicitur*, ait, *Quod in regno vestro Viri ita liberè, & publicè Uxores suas Uxoribus aliorum commutantur, sicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re alia ab illo commutat, & pro libitu, ac sine ratione relinquit.* Hic certè proximus fuit Lucio Tertio, quicunque ex iis pluribus Anselmis fuerit; cum omnes Anno fere 1000. floruerint, & hic scripserit Regi illi, cujus subditi postea a Saracenis fuerunt capti, de quibus Lucius edidit Decretalem. Quapropter conjicitur, tunc temporis viguisse Opinionem, saltem popularem, in ea regione, Matrimonium etiam consummatum dissolubile esse quoad vinculum, & validum fore secundum celebratum, vivente primo Conjuge.

11. Essent hoc loco adducendæ Leges Civiles, sed præter Justiniani Novellas, quas non sine Doctissimorum Episcoporum assessu, & assensu, ut affirmat Lupus, condidit, ac promulgavit Justinianus, quasque *amplexa est Ecclesia tum Orientalis, tum Occidentalis*, quemadmodum testatur Natalis ab Alexandro *Hist. Eccl. secul. 6. Cap. 7. Fol.* 478. *De Orientali*, inquit, *nullum est dubium, de Occidentali id constat ex S. Gregorio Magno*, aliosque refert Pontifices; præter inquam istas, non alias afferemus.

Hæ autem duæ sunt. Prima Autenticorum Collatione quarta *de Nuptiis T. 1. sed etiam captivitatis Casus, Fol. mihi 32.* Quam supra citavimus: Secunda est Collatione octava *T. 13. Prædictis itaque causis, Fol. 88.*, quibus necti potest Historia plurium Regnorum, & Regum præsertim Francorum varia habens exempla dissolutorum Matrimoniorum, etsi consummatorum, atque, vivente altero ex Conjugibus, novorum initorum, quam refert S. Gregorius Episcopis Turonensis.

Et quoniam, ut habet Fredegarius *Lib. 3. Cap. 94. Franci non ex solo Adulterio, sed ex aliis etiam causis repudiabant: ipsorum Regibus Gothorum in Hispania Reges despondere nolebant suas Filias, nisi datis de citra Adulterium non repudiando Sacramentis.*

12. Hæc, quæ congessimus, sive Pontificum Decreta, sive Nationalia Concilia, sive quorundam Sanctorum Patrum sensus, vel denique Civiles Leges, Historiasque profanas, non alio fine, ac animo adduximus, nisi, ut ostenderemus Decretalem *Dominus* non supposuisse, nec potuisse supponere eos, qui jam secunda contraxerant Matrimonia, accessisse ad ea ineunda dubios de ipsorum valore; Quod satis est, ut palam fiat, non posse in probationem oppositæ sententiæ ullatenus adduci. Cæterum Catholicè profitemur, divino Jure insolubilia esse Matrimoniorum consum-

matorum vincula; ut apertè definivit Tridentinum supra relatum. Quemadmodum etiam profitemur, non defuisse statis temporibus & Pontifices, & Concilia, & Patres viriliter agentes pro stabiliendo hoc Dogmate; quod nonnisi plenè, ac firmiter consecuti sunt tandem Tridentini Patres.

13. Dicet tamen aliquis. Si indissolubilitas Matrimonii consummati Fidei sit Articulus, quomodo per tot sæcula tanta de eo obscuritas, tam variæ Opiniones, & inde tot saltem materialia Peccata?

Huic satisfacit Paulus IV. rogatus dispensare in conjugio rato Francisci Monmorantis, & Joannæ Halluynæ Piennææ per interlocutionem, quam habuit de hac re ad Cardinales: *O Fratres*, inquit, *& Filii mei, ego sane vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti, ac ponderis.... Ne quæso vos teneant decessorum meorum facta & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ Auctoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum adducent.... Non dubito, quod ego, & decessores mei errare aliquando potuerimus non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus, & tamen condemnandi planè non sumus. Nam Deus suam ità regit Ecclesiam, ut illi ad certum tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Christus ipse satis innuit, cum Beato Petro dicebat: quod ego facio, tu nescis modo. scies autem postea; Et in alio loco ajebat: adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quis igitur scit modo, num, quæ reliquis circa indissolubile Matrimonii vinculum ante fuerant incognita, per nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit? Quamobrem Fratres, & Filii mei omni studio incumbite in illud auxilium, quod a vobis hac in causa expecto. Nec rationem habet ullam exempli, quod hic, vel ille Decessor meus Posteris reliquerit: ut jam admonui, perspicite, an decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo Matrimonii disquirimus.*

Hanc tanto Pontifice dignam interlocutionem refert Joannes Haya Doctor Parisinus Testis auritus, & oculatus, ut habet Christianus Lupus *Tom.* 11. *Fol.* 12. a qua docemur primo: Quæ Fidei sunt, non statim omnia innotuisse ab exordio Ecclesiæ, sed paulatim, ac tempore procedente aperiri Fidelibus. Secundò non omnia Pontificum, vel Conciliorum Decreta causam Fidei semper definire, etsi circa illam versentur; eo vel quia non sint servatæ Leges loquendi ex Cathedra, si de Pontifice sermo sit; vel Concilia non sint coacta eo fine, ut definiatur illa causa; nullaque tunc temporis cognita sit, id postulare Ecclesiæ utilitas; vel tandem Concilia non sint OEcumenica. Tertio evenire potuisse, ut revera evenit, quod fuerit habitum aliquid primis Ecclesiæ Temporibus, quibus inter paucos ipsa continebatur, ut Fidei Articulus, quod medio tempore in puram abierit opinionem probabilem, deinde postremis tempo-

po-

poribus, reversum sit, aut revertatur ad Fidei Dogma. Exemplum sit quod Augustinus de Peccatorum meritis, & remissionibus *Cap. 9.* docuit ad Fidem pertinere: scilicet Parvulis per Baptisma infundi gratiam, ac virtutes, quod Innocentius Tertius scribens ad Michelem Arelatensem Archiepiscopum posterioribus sæculis appellavit solum probabile: inquit enim: *Illud, quod opponentes inducunt, Fidem, aut Charitatem, aliasque virtutes Parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute; cum propter hoc inter Doctores Theologos Quæstio referatur; aliis asserentibus per virtutem Baptismi Parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus, dimitti Peccatum, & virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.*

Deinde Clemens Quintus laudans verba Innocentii in primo Capitulo ad Titulum de summa Trinitate, & Fide Catholica: inquit: *Opinionem secundam, quæ dicit, tam Parvulis, quam Adultis conferri in Baptismo informantem Gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

Sacra demum Tridentina Synodus avitam S. Augustini, & totius tunc Ecclesiæ sententiam reposuit in Fidei Canonem, & denuò fecit esse Fidei Articulum. Hæc sunt verba Christiani Lupi *Tom. 11. Fol.* 4.

Hoc ipsum contigisse huic Fidei Articulo de indissolubili Matrimonii consummati vinculo Ecclesiastica Monumenta docent; ejusque causam edixit S. Augustinus *Lib. de Fide, & Operibus Cap. 9. Quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerunt antea, etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas Uxores ducerent Viri, aut alienis Viris Fœminæ nuberent; inde fortassis apud quasdam Ecclesias negligentia ista surrepsit, ut in Cathechismis competentium nec quærerentur, nec reperiemerentur hæc vitia; atque inde factum est, ut inciperent, & defendi.... Talem quippè in quibusdam negligentiam, in aliis imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait, cum dormirent Homines, venit Inimicus, & superseminavit Zizania.*

14. Verum de prima Decretali, nempe *Cap. Dominus* hactenus dicta sint; nimis enim apertum, non eam loqui, aut disponere de iis, qui cum dubia Fide de valore ad Matrimonium ineundum accesserunt; superest alia nempe *Cap. Inquisitioni tuæ de sententia Excommunicationis* observanda, an & ipsa faveat Patronis adversæ Opinionis, ut ipsi contendunt.

Præter dicta de *Cap. Dominus*, quæ omnia conveniunt etiam huic Capiti *Inquisitioni*, ob easdem temporis, ac Personarum circumstantias. Si verba ejusdem Capitis, ac finis spectentur, constabit ex eo, nihil deduci posse in eorum favorem.

Verba enim Capitis sunt: *Inquisitioni tuæ*, inquit Innocentius Tertius Epis-

copo Ferrarienſi Anno 1200. cir. *Reſpondentes, credimus diſtinguendum, utrum alter conjugum pro certo ſciat Impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit: an non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potius Excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & diſcreta, & quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa) licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet; ne in alterutro, vel contra Legem conjugii, vel contra Judicium conſcientiæ committat offenſam.*

In hac itaque Decretali nihil apparet diſpoſitum pro iis, qui cum dubio de valore Matrimonii acceſſerunt ad illud contrahendum, ut inſpicienti patet; Nam tota ejus diſpoſitio procedit de illis, qui poſt Matrimonium contractum certò deprehenderunt Impedimentum, vel de eo probabilem & diſcretam habuerunt credulitatem, vel levem, & temerariam. Neque ullatenus Quæſtionem movet Pontifex: præceſſerit ne ad Matrimonium contractum hujuſmodi ſcientia, vel dubium? ut cauſa poſtulaſſet, ſi reverà præceſſiſſet, ad hoc ut de iis, ſicut de aliis diſpoſuiſſet. Etenim pro eo, qui certò ſciviſſet Impedimentum dirimens, non ſatis fuiſſet Pontifici ſtatuere, quod debeat potius Excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam &c., niſi etiam eundem Canonicis pœnis ſubjeciſſet; quod idem dici poſſet, & deberet de contrahente cum poſitivo probabili dubio; quia uterque auſu temerario expoſuiſſet vel nullitati, vel probabili periculo nullitatis Sacramentum Matrimonii. Et revera ſi attendatur conſuetudo illorum temporum, quæ erat, ut Impedimenta quoque ſupervenientia valido Matrimonio, illud etiam quoad vinculum diſſolverent, ut ex Decreto Deodati, atque aliorum Pontificum ſupra relatorum conſtat: quæ poſtea noſtris temporibus temperata eſt, ut ſolum impedimenta ſuperinducta privent jure petendi illum, qui culpabiliter eadem Impedimenta poſuit, relicto integerrimo Jure petendi parti innocenti, & ſervato valore Matrimonii, optime hæc prima pars Decretalis exponitur, ſi dicatur, illam procedere de eo, qui validè contraxit, deinde ſuperinduxit Impedimentum dirimens, ideſt ſolvens Matrimonium ſuum, quod poſtea probare non poſſit apud Eccleſiam, quod, inquam, tunc debeat potius hic humiliter ſuſtinere Excommunicationis ſententiam, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. Et quoniam Impedimenta, quæ probari non poſſunt apud Eccleſiam, eſſe nequeunt, niſi Juris Eccleſiaſtici, ſupra quibus Pontifex diſpenſare

po-

potest, ideo præcipit Innocentius, ut potius humiliter sustineat &c. ante obtentam dispensationem, qua obtenta iterum contrahat, quam non obtenta dispensatione pareat mandatis Ecclesiæ, sieque peccet mortaliter; nam si res aliter esset, perpetuo Anathemati subjiceretur Innocens cum summa Bonorum ejus spiritualium jactura; quod velit Ecclesia, præsumi non potest. Diximus perpetuo Anathemati Innocentem subjici; nam ideo excommunicaretur, quia a re illicita se abstineret, & ob hoc semper contumax appareret, utpotè non valens ostendere Impedimentum, seu secutam dissolutionem sui Matrimonii; proinde hic permaneret in statu perpetuo Anathematis.

15. Si autem secundam Decretalis partem intueamur, qua statuitur, quod habens probabilem, & discretam credulitatem de Impedimento possit quidem reddere debitum, sed postulare non debeat, in ea advertimus primò Pontificem huic non negare potestatem postulandi, sed solum illi prohibere postulationem; Quemadmodum ex aliis causis factum esse ab aliis Pontificibus ipso Jure Canonico recognoscimus. Et quidem non ob aliam causam prohibuit Pontifex postulationem, nisi, ut eum solicitaret ad inquirendam veritatem, & simul ad dubium deponendum; Etenim si ei permisisset, quod concessit habenti levem, ac temerariam credulitatem, nempè licite petere, & reddere, jam hic non curasset ulterius veritatem investigare, vel saltem conscientiam tranquillam per dubii depositionem sibi comparare.

16. Advertimus secundo, Pontificem non ibi loqui de valida petitione, ac redditione debiti, sed tantummodò de licita; Quæ ideo talis pro habente levem credulitatem, quia nulla positiva Lege prohibita; pro dubitante autem graviter ipse Pontifex hac Decretali facit illicitam postulationem, & relinquit licitam redditionem, ut ostendat, quod Impedimentum Juris positivi Ecclesiastici, quoties permanet dubium in facto, suspenditur, nec parit effectum suum; cum hoc sit in potestate Ecclesiæ, utpotè minus contentum sub majori, nempe sub potestate ponendi, ac tollendi eadem Impedimenta. Quod si postea manifestum fiat, vel retrotrahitur ad momentum præcedens celebrationi Matrimonii, illudque irritat, cujus exemplum ex opposito habetur in dispensationibus Matrimoniorum in radice, de quibus videatur Resolutio Sacræ Congregationis Tridentini in Pragen. Matrimonii 18. Septembris 1723. *Tom.* 2. Thesauri earundem *Edit. Ven. Fol.* 369. Vel Impedimentum ex dubio factum certum postea auctoritate Ecclesiæ dissolvit Matrimonium præcedens, ut tempore Innocentii opinio erat, quam supra notavimus.

Si itaque suspensum maneat Impedimentum dubium, jam illi prævalet Matrimonium certum, ex quo utrique contrahenti Jus certum fit petendi, ac reddendi: quod si interdicatur dubitanti usus Juris sui, relinquitur tamen Innocenti; propterea, ut hic consequeretur Jus suum, reliquit Pontifex dubitanti licitam redditionem. O 4 17.

17. Advertimus tertio, Pontificem reddere rationem, quare dubitans de Impedimento teneatur reddere, at postulare non debeat, quæ est *ne in alterutro, vel contra Legem conjugii, vel contra Judicium conscientiæ committat offensam*. Nam non reddendo hic dubitans violat Legem conjugii per Innocentium; Ergo Innocentius certò supponit validum conjugium, a quo solo Lex illa venit. Conjugium autem non potest esse certò validum pro uno contrahentium, quin etiam sit pro alio; quia valor ejus in relativo consistit. Itaque hac ratione excludit Pontifex a dispositione suæ Decretalis conjugium dubium; proinde etiam eum, qui illud contraxit cum dubio; Ergo ex hac Decretali nihil habetur, quod faveat adversæ sententiæ.

Postulando autem cum hujusmodi credulitate probabili, atque discreta operatur contra regulam internam morum, quæ est, ut nunquam cum dubio liceat operari, sed deposito dubio, saltem per dictamen reflexum a quolibet constituto in necessitate agendi faciendum, si de utraque ex oppositis dubitet, ut omnium est Theologorum Doctrina. Quapropter apparet, Pontificem loqui de dubio non objectivè sumpto; nam tunc operans nedum contra conscientiam propriam committeret offensam, sed etiam contra illam Legem, vel virtutem, quæ suaderet partem oppositam, sed de dubio mere subjectivo, quod non aliud præstat, quam suspensionem Judicii practici in operante, hæcque suspensio, ut expellatur, norma interna humanarum actionum præcipit; cui non obtemperat operans cum dubio subjectivo; proinde peccat quidem contra conscientiam, quatenus non paret Legi internæ morum; at minimè peccat contra Legem, seu virtutem, cujus objectum est pars opposita illi, quam est prosecutus agens cum dubio: idque patet, quia dubium non ab objecto est excitatum.


De hoc itaque mero dubio subjectivo loquitur Pontifex; nam præcipit, ut inquit Glossa, quod illud omninò dimittat conjux ad consilium sui Pastoris; Quod si postea post consilium Pastoris adhuc conscientia pulsaverit animum ejus, Pontifex, & Legi certæ conjugali, & tranquilitati conscientiæ illius conjugis consulere intendens, hoc præbet temperamentum, ut debitum hic reddat postulanti, sed postulare non debeat. Quare inspecta hac Decretali ejusque fine una cum circumstantiis temporum, ac Personarum manifesto liquet, eam non procedere, aut disponere quidquam de iis, qui cum dubio facti verè probabili de præexistentia Impedimenti dirimentis Matrimonia contraxerunt; sed de iis, quibus supervenit, vel scientia, vel dubium de eodem Impedimento, quosque supposuit bona Fide contraxisse.

Quod ulterius argui potest. Ex ratione communi utrique allegatæ Decretali; Etenim, cum Fornicatio sit intrinsecè mala, nedum ipsa, sed ejus tum formalis, tum materialis periculum ita caveri oportet, ut nulla

posi-

positiva Lege induci posse necessitas, vel concedi facultas, se exponendi hujusmodi periculo, quin semper sit intrinsecè malum; sed posito, quod contrahens cum dubio de valore Matrimonii teneatur postea reddere debitum, hic se exponit certo periculo Fornicationis formalis ex parte sui, & periculo Fornicationis materialis ex parte alterius bona Fide petentis; ad quam tamen ipse non solum materialiter, sed formaliter etiam concurret; Ergo prædictæ Decretales si procederent de eo, qui cum dubio de Impedimento dirimente contraxit Matrimonium, illique imponerent necessitatem, ac concederent facultatem superius dictam, jam permitterent, quinimmò præciperent aliquid intrinsecè malum, quod obest valori cujusvis Legis, sive humanæ, sive divinæ. Ne ergo hæc absurda admittantur fateri necesse est, eas Decretales nihil disposuisse de eo, qui cum præfato dubio contraxit Matrimonium.

Quapropter vel rationem, vel Auctoritatem, vel utramque adeamus, docemur, eum, qui contraxit cum dubio facti, vere positivo, ac probabili de præexistente Impedimento dirimente, eo durante, non posse ullatenus nec petere, nec reddere debitum parti non dubitanti.



Quod-

18. Quodnam porro in hoc rerum discrimine erit consilium hujus dubitantis? quinimmò illius etiam, qui certo novit suum Matrimonium esse nullum, sed probare id non potest apud Ecclesiam? non aliud erit, quam quod præbet Maschat *Lib.* 4. *Tit.* 19. *De Divortiis num.* 2. *sub fine*. Scilicet primo, quod conscius nullitatis Matrimonii, & simul impedimenti nullitatem producentis, quoties ex dispensabilibus sit illud impedimentum, ejus dispensationem a summo Pontifice petat; quam profecto etiam tenetur petere, ne per Ecclesiam cum putativo conjuge perpetuo manere cogatur incontinentiæ periculo semper obnoxius; neve proles, si quæ suscepta, illegitima relinquatur.

Secundo, quod ille, qui accessit cum dubio prudenti de præexistentia impedimenti dirimentis ad suum initum Matrimonium, in eoque dubio post contractum perseverans, tenetur petere dispensationem ab hujusmodi impedimento ad cautelam, ut sæpius docuit Sacra Tridentini Congregatio.

Ex his proinde neutro licet divertere a suo conjuge, non primo, quia obstat Ecclesia, quousque non docta, habens pro valido illius Matrimonium: non secundo, quia præter dicta de conscio nullitatis &c. obstat probabilis valor sui Matrimonii; contra quem non licet certo procedere, ne pœna certa delicto probabili infligatur. In his tamen causis servanda est Constitutio Benedicti XIV. *Dei miseratione* 3. Novembris 1741.

19. Quæ igitur sint ea Matrimonia, quorum vinculum dissolvi possit potestate humana, quæ potestate divina summo Pontifici delegata, quæ tandem sint, quorum vinculum sit prorsus indissolubile, tum humana, tum etiam divina delegata potestate, & soli divinæ absolutæ potestati reservatum, jam diximus; propterea de Matrimonii Divortio quoad vinculum non plura; supersunt brevi calamo dicenda de Divortio quo ad thorum, atque habitationem.

§. IV.

Divortium quod ad Thorum, & habitationem duplex, scilicet liberum & coactivum: causæ præcipuæ coactivi recensentur.

Hujusmodi autem Divortium duplex distinguitur, voluntarium unum, coactivum alterum; de primo agunt Canonistæ *Lib.* 3. *Tit. de Convers. Conjugatorum. De secundo lib.* 4. *Tit.* 19. *de Divortiis*.

1. De voluntario nihil dignum est, ut dicatur cum in conjugum potestate sit ab invicem divertendi, sive quoad Thorum, sive quoad habitationem, accedente tamen utriusque prorsus libero consensu, præsertim ob colendam castitatem, ac perfectiorem Christianæ Religionis viam

gra-

gradiendam, & hoc vel ad tempus, vel si nullum incontinentiæ periculum subeat, etiam in perpetuum, obtenta tamen ab Ecclesia, idest a suo Episcopo venia divertendi quoad habitationem, ac separatos perpetuo permanendi; quoniam, nisi constaret eidem Ecclesiæ de libera utriusque conjugis voluntate in hujusmodi diversione, eos teneretur cogere ipsa Ecclesia ad secum ipsos cohabitandum etiam per censuras; ne Matrimonii jura, quæ intacta ut serventur, curare debet, læderentur.

2. De coactivo porro Divortio, si illud fieri contingat Prælati auctoritate, plura habent Canonistæ *Hoc Titulo*. Si autem causæ adsint præsertim quoad Thorum, ut alteruter ex conjugibus ab altero invito divertat privata potestate, de hoc speciatim Theologi; hinc ejusdem faciendi causas recensent, vel temporalis, vel perpetui.

3. Causæ autem faciendi Divortium temporaneum hæ numerantur, scilicet periculum animæ, periculum corporis, & sevitia, aut furor alterutrius ex conjugibus. Periculum enim animæ habetur si alter inducat conjugem in peccatum, E. G. in latrocinia, veneficia, sodomiam &c. vel proximum sit periculum, ut inducatur, nam tunc innocens tenetur, tum naturæ, tum divino jure divertere a noxio conjuge juxta illud, *Lucæ Cap.* 14. *Qui non odit Patrem, & Matrem &c.* neve se exponat periculo proximo peccandi; cum illud moram non patiatur; proinde si in eo voluntarie permaneret, semper peccaret: hinc innocenti conjugi facta est potestas privatim divertendi a noxio conjuge per argumentum *Cap.* 5. *Idolatria* 28. *quæst.* 1.

4. Periculum autem corporis habetur, quando ex cohabitatione conjugis sani cum conjuge corpore infecto, atque morboso prudenter timeri potest contractio morbi a sano conjuge: uti esset in lepra, vel lue venerea, aliisve similibus morbis facile communicabilibus; quod periculum, quia similiter non patitur moram, causa justa est divertendi privatim non expectata judicis sententia; quemadmodum etiam est respectu fœminæ periculum probabile mortis in partu, quod jus faceret eidem fœminæ divertendi a Thoro Mariti; ex quo Matrimonium non inducat vinculum lædens jus naturale de vitæ conservatione; quod idem dicatur de eo, qui habet conjugem latrocinia exercentem, de quibus licet non participet, quia tamen, si manifestentur, timere potest, ne in supplicio nocenti debito involvatur, poterit & hic a noxio privatim, etiam quoad habitationem divertere; neque tenebitur causam diversionis manifestare, ne contra Maritum, vel Uxorem in iis, quæ sunt extra Matrimonii jura, Testimonium ferat, quod Canonico, ac Civili jure esset proscriptum.

5. Sevitia tandem, aut furor alterutrius conjugis in eo tantum eventu jus præbet alteri privatim a sevo, aut furioso divertendi, quo prudente timeretur, vel mors infligenda, vel grave malum, seu gravis percussio

ad

ad quam cavendam non satis consuleretur interposita temporis mora necessaria pro obtinenda judicis sententia; proinde ea non expectata poterit a sevo, atque furioso conjuge alter privatim divertere.

Non autem id poterit, quando sevitia, ac furor hujusmodi prudentem timorem secum non habeat, sed tunc expectare tenebitur judicis sententiam, antequam ab eodem sevo, ac furioso conjuge recedat. *Arg. c.* 1. 8. 13. *De restit. spoliatorum*; quia tunc cessat causa juris naturalis: nempe conservatio proprii individui, quæ, dum viget, prævenit quamcunque hominis sententiam.

Cum itaque recensitæ causæ privatim divertendi a proprio conjuge natura sua perpetuæ non sint, cessantibus iis, individua vitæ ac thalami conjugum consuetudo resarcienda est a conjuge divertente, & quidem sub gravi ante quamcumque sententiam ad hoc compellentem; nam cessata causa Divortii privati, & ipsum cessare debet tale Divortium, quod non alia ratione subsistit, quam ea, qua ejus causa subsistit; quod idem non est in Divortio per Judicis sententiam facto, quia tunc etiam cessata causa, perseverat; habet enim suam subsistentiam, nedum a causa, sed etiam a Judicis sententia; propterea cessante causa non cessat, sed juris subsistentiam retinet.

6. Si vero per accidens evadant perpetuæ, Divortium ob eas privata auctoritate factum perpetuo perseverare non poterit absque Judicis sententia; cum in tali hypothesi, mora temporis intercedat absque ullo mali periculo conjugi divertenti adeundi Judicem, atque justitiam causæ apud ipsum probandi, obtinendique sententiam publici Divortii; jusque habeat Ecclesia, ut certioretur de justitia causæ, quam habet divertens ab alterutro conjuge, eamque efficiendi publicam ad tollenda scandala & Matrimonii jura tuenda, & ne via fraudibus aperiatur.

7. Causæ porro instituendi Divortium perpetuum, quoniam hoc fieri nequit, nisi auctoritate Ecclesiæ, Judicisque sententia, eæ recensentur a Theologis, & a Canonistis. Inter quas cum præcipua sit Adulterium, sive carnale, sive spirituale, idest hæresis: quod in eo spectari debet forum animæ respiciens, Est primo, Adulterium carnale esse oportere non tantum materiale, sed etiam formale, completum in sua specie, voluntarium ac liberum, non injusto gravi metu patratum, non consentiente vel expresse, vel tacite altero conjuge; ad quæ omnia respicere debet intentans judicium Divortii, ne injustam excitet alteri conjugi litem, ac causam, indebitasque illi inferat molestias. Secundo Adulterium spirituale, idest hæresis, si fuerit conjuncta cum periculo perversionis, statim conjux innocens ob prædictum periculum recedere debet ab Adultero spirituali; si autem fuerit hæresis sine tali periculo, per judicis sententiam obtineri debet Divortium, ut diximus, & liquet *ex Cap. 6. H. T. Cap. Fin. de Hæreticis in Sexto*: quo obtento re-

sar-

ſarciri nequit ſocietas maritalis, niſi conſtet Eccleſiæ de emendatione; propterea, & illud ex juris diſpoſitione evadit perpetuum. *Cap. Fin. De Converſ. Conjug.*

Quæ plura habentur de Divortiis, legi poſſunt in Pichler, in Maſchat *lib.* 4. *eodem Titulo*. In Moralibus Theologis omnibus, quos longum foret adducere. Quæ autem de iis, vel de univerſo Matrimonii Sacramento dixi ipſe, licet modica ſint, & gravi emendatione digna, ea tamen omnia divino Eccleſiæ Sponſo cujuſvis Fidelium connubii ſanctificatori humilline devoveo, ac offero, ut nevis, erroribuſque purgata dimittens, divina ejus benedictione proſequatur, qua finem eum conſequantur, quo dicta ſunt, laudem nempe, atque extollentiam ſui Sanctiſſimi Nominis, ac Sponſæ ejus Eccleſiæ exaltationem.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Affi-

ex-

E

Jus

P

obli-

LAUS DEO.

ERRATA

ERRATA			CORRIGE;
Pag. 6	lin. 34	comulatissime	cumulatissime
12	31	reprimittenti	repromittenti
13	38	promittente	promittentem
17	12	hæreditati	hæreditati
19	39	dispositionis	dispositioni
25	39	eficit	efficit
36	37	in habiles	inhabiles
50	19	permissioni	promissioni
66	24	nunc husque	nuncusque
69	32	in quam	inquam
77	18	di uere	diluere
82	23	quo ad	quoad
92	6	viteretur	vitaretur
93	21	mei. si nascuntur,	mei, si nascantur;
94	8	sint involutæ	sunt involutæ
	ultima	perentur	operentur
110	8	indiricte	indirecte
124	3	reprehesentes	repræsentet
125	8	Doctorem	Doctorum
151	37	a catholica	Acatholica
167	8	assumitut	assumitur
176	22	præter quam	præterquam
198	37	statim hac	statimac
205	25	Apostolorum	Apostolum
219	40	ju	jus
	41	sevo	sævo

Vidit D. Michael Angelus Griffini Clericus Regularis S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Domino VINCENTIO *Cardinali* MALVETIO *Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.*

Die 25. Julii 1772.

Videat, & referat pro S. Officio.

A. R. D. Carolus Maria Offredi Cleric. Regul. Teatinus in Universitate Bononiensi Pub. Theologiæ Professor, ac S. Officii Revisor.

F. Petrus Paulus Salvatori Inquisitor Generalis S. Officii Bononiæ.

Die 1. Septembris 1772.

Nihil contra Fidem, nihil contra bonos mores continet Liber, cui titulus = De Sancto Matrimonii Sacramento precipua Divini &c. *Auctore D. Dominico Lanzerini in Bononiensi Archigymnasio Publico Professore, quemque mandante Reverendissimo Patre Inquisitore Generali attente perlegi. Ita &c.*

D. Carolus Maria Offredi C. R. S. Theol. Public. Professor, & S. Officii Revisor Ord.

Die 5. Septembris 1772.

Attenta suprascripta attestatione

Imprimatur.

F. P. P. Salvatori Inquisitor Generalis S. O. Bononiæ.

